M.1.15.
M.l.18
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RAYMUNDI CUNICHII

E SOCIETATE JESU

ANTHOLOGICA

SIVE

EPIGRAMMATA

ANTHOLOGIAE GRAECORUM

SELECTA

LATINIS VERSIBUS REDDITA

Et animadverſionibus illuſtrata .

ROMAE CIϽIϽCCLXXI.

TYPIS MICHAELIS ANGELI BARBIELLINI

Praeſidum permiſſu .

Proſtant venales apud Natalem Barbiellinum,
& apud Generoſum Salomonium .

Digitized by Google

Vera epigrammatis notio ex Graecis haurienda eſt, hi enim ſoli ejus indolem quaſique formam viderunt. Qui Anthologiam in manus ſumunt, ea reperiunt, quae lecta complent animos voluptate, atque admiratione. Franciſcus Xaverius Quadrius in Hiſtoria & ratione omnis poeſeos. Vol. II. lib. II. diſt. III. c. V.

BALTHASARI

ODESCALCHIO

LIVII DUCIS BRACHIANI F.

EXIMIO

BONARUM ARTIUM

CULTORI ET PATRONO

RAYMUNDUS CUNICHIUS S. I.

ELEGIA

QUos Graij e Pindo flores legere poetae ,
In Latium quos fert nunc mea Calliope ,
Selectos cura ingenti , pulcreque locatos ,
Affuſoque apte lumine fulgidulos ,
Hos tibi , Romuleae pubis decus , optime dono
BALTHASAR ; hos proprium tu tibi munus habe .

Digitized by Google

Nec pigeat proaviſque (*a*), opibuſque, & divite cenſu,
Quotquot habes, magnis conſpicuum & titulis,
Excipere hunc facili vultuque & mente libellum.
Scis haec ſcripta tuis nata ſub auſpiciis;
Scis jam lecta tibi, ſcis jam pridem eſſe probata.
Et nunc, privati quod laris e tenebris
Haud metuunt claras prodire in luminis oras,
Id faciunt, tibi ſe quod placuiſſe vident,
Cui nil non pulcrum poſſit, rectumque placere.
Quem teneris puerum Pallas ab unguiculis,
Illa tuae ſimulans vultumque & verba PARENTIS,
In blando fotum nutriit ipſa ſinu,
Perdocuitque artes varias, ſenſuque decori,
Metiri ut veris cuncta ſcias modulis,
Imbuit: indulgens large Natura creatrix
Cui dedit ingenium grande, ſagax; toties
Attonito ſimilis, quod miror; amabile carmen (*b*)
Vel quum Romana condis in Arcadia,
Paſtorum denſa circum ſtipante caterva;
Carmen quod cupidis auribus excipiunt
Et Fauni & Nymphae, longe Tiberinus & ipſe
Immoto gaudens audit ab amne pater;

Vel

(*a*) Cujus videlicet paternum genus Innocentius XI, maternum Clemens XII illuſtravit.

(*b*) Carmina, quorum heic ſit mentio, cujuſmodi ſint, facile judicari poteſt ex iis, quae in Arcadum collectaneis leguntur, iiſque magno ſunt decori, atque ornamento.

Vel quum Tarpeja praeſtans orator in aula
Eloquii volvis flumina, mirificam
Doctrinae promens vim pleno e pectore (c); & artes
Una doces Sophia ut provehat omnigenas,
Duxque regat mentem, ſeu quis regalia tecta
Condere, ſolerti ſaxa animare manu
Seu velit, ac tabulas vivis complere figuris,
Quas Natura opifex non neget eſſe ſuas.
Ut tua tunc tota defixi mente Quirites,
Purpurei ut, Romae lumina prima, patres,
Audibant taciti torrentia verba! ſtrepebat
Ut laude ac plauſis turba frequens manibus!
Ergo, tam docto, tam culto quod mea vidi
Scripta placere, meis fidere Pieriſin
Coepi; & cunctantes multum multumque verentes
Protruſi caecis protinus e latebris,
Et juſſi claro verſari in lumine, & uno
Te fretas vulgi ſpernere judicium.
Cujus prae te uno vel centum millia ſanus
Non hili faciam, nec rear eſſe aliquid.

(c) Haec vere dici fatebitur, qui legerit orationem hoc ipſo anno XI Kal. Majas habitam in aula Capitolina, ac deinde paullo poſt Romae typis impreſſam; in qua docet, a pictoribus, a ſculptoribus, ab architectis ſumma & perfecta opera confici non poſſe, niſi ad praecepta, atque adjumenta, ſingularum artium propria, accedat, earum omnium quaſi dux quaedam, & moderatrix, philoſophia.

Quanquam nec vulgi deerunt ſuffragia, vatem
  Si modo magna tui nominis umbra tegat:
Quem PATRIS eximii veſtigia clara prementem,
  Quo nihil eſt urbi carius, eximie
Omnes certatim laudant, mirantur, amantque;
  Nec poſſunt cuiquam dicere vel facere
Infenſi male, te qui fidit cunque patrono,
  Quem tu cunque favens dixeris eſſe tuum.

AUCTOR.
AD LECTOREM.

Quid ferat hic libellus, indicavit ſatis, ut opinor, ipſe titulus: a quo genere hominum ego illum excipi, ac legi velim, indicabunt hi, quos ſubjicio pauci verſus

HENDECASYLLABI.

Si quis Cecropios amat lepores,
Nec Grajae numeros fugit Camoenae,
Huic opto admoveat manum libello.
Qui nec Cecropios amat lepores,
Et Grajae numeros fugit Camoenae,
Hoc oro abſtineat manum libello.
Nam ſi legerit haec uterque, fiet
Ut, quae lecta bonus probarit alter,
Alter excipiat malus cachinno.
Qui ſi forte meas tamen cachinnus
Aures attigerit, nihil movebor.
Nec ſpero, aut ſtudeo placere cunctis:
Non cunctis placet ipſe Jupiter, ſeu
Clari vi boreae polum ſerenet,
Seu nimbum & madidos reducat auſtros.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palat. Apoſtolici Magiſtro.

D. Jordanus Patriarch. Antioch. Viceſgerens.

LAURENTIUS RICCI.

PRAEPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS JESU.

CUm librum cui titulus: *Raymundi Cunichii e Societate JESU Anthologica &c;* aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtatem facimus ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur, cujus rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo officii noſtri munitas dedimus. Romae die 1. Februarii 1771.

Laurentius Ricci.

AP-

APPROBATIO.

QUum ante aliquot annos nonnulla veterum Græcorum Carmina à CL.V. Raymundo Cunichio e Societate Jeſu latinè verſa in manus meas incidiſſent, adeò eorum lectione ſum delectatus, ut nihil ſuavius, nihilque elegantius multo jam tempore me legiſſe animadverterem. Quare Auctorem optimum atque humaniſſimum virum, mihique veteri familiaritate conjunctum, etiam atque etiam rogavi, uti cætera quoque ex Anthologia Epigrammata, quæ Religioni, aut morum innocentiae minimè obeſſe poſſent, latinè redderet, ſuaviſſimoque Poeſis genere, non magnopere quidem à Latinis exculto, Romanam linguam ditare atque illuſtrare pergeret. Iſtud autem ab doctiſſimo Viro hoc ipſo volumine non præclarè modo, ſed etiam cumulatiſſimè præſtitum fuiſſe, vehementer lætor. Quod quum Rmi. P. Magiſtri Sac. Palatii Apoſtolici juſſu diligenter perlegerim, nihil omnino deprehendi, quod aut Religionis aut morum ſanctitati; adverſetur; imo germanam ubique Latini ſermonis puritatem, varium gratiſſimumque numerorum concentum, Atticorum ſalium acumen atque elegantiam, acerrimum denique Auctoris judicium, multiplicemque doctrinam ſum admiratus; proindeque omnia digniſſima cenſeo, quæ in lucem proferantur.

Romae III. Cal. Apriles MDCCLXXI.

Petrus Antonius Seraſſius.

*

APPROBATIO.

QUod omnibus humaniorum litterarum ſtudioſis valde optandum erat, ut aliquis exiſteret, qui ex pulcherrimis Graecae Anthologiae carminibus, meliore quodam delectu, atque ordine uſus, meliora excerperet, latinaque veſte indueret; id egregie praeſtitiſſe Raymundum Cunichium S. J. virum doctiſſimum mirifice gaudeo, ac vehementer gratulor. Nihil enim ille, meo quidem judicio, praetermiſit eorum, quae ab optimo interprete, ac poeta expectanda ſunt; ut ipſa Graeci operis, ex quo haec hauſta ſunt, inſcriptio multo potiori jure in hunc libellum cadere poſſe videatur; adeo, quemadmodum ille ait,

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant

omnia Cunichius item depaſtus eſt aurea dicta; quique ad horum carminum lectionem aggredientur, ſuaviſſimorum floſculorum ſertum, Muſarum & Gratiarum manibus contextum, tractare, atque odorari quodammodo ſibi videbuntur. Praeterea in adnotationibus, quibus totum opus illuſtrat, non tam eximiam praeſtantiſſimi auctoris eruditionem, quam ſingularem pietatem, qua ſparſim pro rei opportunitate non pauca ad germanam ſolidamque virtutem affert incitamenta, ſummopere ſum admiratus. Quamobrem Rmo. S. P. A. M. ſanctiſſime poſſum confirmare, libellum hunc nihil quidem obeſſe, plurimum autem prodeſſe tum bonis artibus, tum morum integritati poſſe. Datum Romae VIII Idus Majas MDCCLXXI.

Nicolaus Ferrarius

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

POE-

POETAE GRAECI.

Quorum carmina latine verſa
in hoc opere continentur.

Aegis
Aemilianus
Agathias
Alcaeus
Ammianus
Anacreon
Anite
Antipater
Antiphanes
Antiphilus
Antonius Argi.
Apollinarius
Apollonides
Archias
Argentarius
Ariſto
Aſclepiades
Automedon

Bacchyllides
Baſſus
Boethus

Callimachus
Coſmas
Crates
Crinagoras
Cyrillus

Damagetus
Damaſcius
Demodocus
Diodorus
Dionyſius
Dioſcorides
Diotimus

Eratoſthenes
Erycius
Evenus
Eutolmius

Geminus
Germanicus
Geta
Glaucus

Hegeſippus
Hermocreon
Homerus
Iſidorus
Julianus

Laertius
Leonidas
Leontius
Lucianus
Lucilius

Macedonius
Marianus
Meleager
Metrodorus
Mimnermus
Mneſalces
Mneſarchus
Muſicius

S. G. Nazian.
Nicarcus
Niceratus
Nilus

OEnomaus
Oneſtes

Pal-

Palladas	*Ptolemaeus*	*Theocritus*
Parmenio	*Rufinus*	*Theodorus*
Paullus Sil.		*Theodoridas*
Perſa	*Sabinus*	
Philippus	*Sappho*	*Xenocrates*
Philo	*Satyrus*	
Pinytus	*Secundus*	*Zelotus*
Plato	*Simonides*	*Zenodotus*
Pollianus	*Speuſippus*	*Zonas*
Poſidippus	*Statil. Flaccus*	*Zoſimus*

Aliorum nomina ignorantur. Equidem in ſingulis capitibus ignotos initio, tum deinde notos ſuo quemque loco litterarum ordine collocavi.

ORDO CAPITUM.

I. ENcomiaſtica.	V. Sepulcralia.
II Satyrica.	VI. Lugubria
III. Moralia.	VII. Ludicra.
IV. Votiva.	VIII. Varia.

MONITUM.

Notarum numeralium, quae titulis epigrammatum appoſitae reperientur, prima indicat librum Anthologiae Graecae; ſecunda caput ejus libri, tertia ordinem ejus capitis.

AN-

ANTHOLOGICORUM

CAPUT PRIMUM.

EPIGRAMMATA ENCOMIASTICA.

INCERTORUM.

De Lyſimacho (a) *Herculi ſimillimo*. 4. 8. 14.

Caeſariem, & clavae nodoſum robur, & oris
Obtutum impavidi terrificum adſpiciens
In tabula, exſuvias Nemeaei quaere leonis.
Hae ſi non deſunt, Amphitryoniaden:

(a) Quis fuerit hic Lyſimachus, docet Pauſanias in Atticis. *Fuit Lyſimachus natione Macedo, Alexandri ſatelles, quem rex ira incenſus, in eandem cum leone caveam conjici juſſerat: ſed quum ab eo beſtiam interemtam cognoviſſet, viri perpetua admiratione virtutem proſequutus, eodem illum, quo optimum quenque Macedonum, loco eſſe voluit. Mortuo porro Alexandro, ei Thraciae parti, quae Macedoniae finitima eſt, imperavit.* Curtius lib.8. ait ab eo, non in cavea incluſo, ſed venante, leonem in Syria interemtum. Equidem miror in ejus imagine leonis pellem defuiſſe; verum idcirco, ut apparet, non eſt appoſita, ne jam non ſimilis Herculi, ſed ipſe Hercules prorſus putaretur.

Sin deſunt, ſpectas horrenda in imagine magno
  Amphitryoniadae Lyſimachum adſimilem.

In Ladam (a) Myronis. 4. 2. 4.

Qualis eras, Lada, fugiens pernicior Euro,
  Vixque imo tangens flammeus ungue ſolum,
Aere Myro talem fecit. ſtudiumque coronae,
  Et primae toto e corpore laudis amor,
Laetaque ſe prodit fiducia. pectore ab alto
  Ductam animam ſummis cernimus in labiis.
Jam fugiet; palmae adſiliet jam jamque volucre
  Aes, ipſo levior quod ciet ars animo.

De Lada curſore 4. 2. 3.

Tranſiliat ſtadium Ladas, an transvolet ipſo
  Igne Jovis citior, dicere nemo poteſt.

In ſtatuam Clitomachi (b) athletae 4. 2. 5.

Qualis in aerata vim ſpirat imagine, talem
  Mirata eſt quondam Graecia Clitomachum.
Ille modo exſutus caeſtus, gravia arma, cruentos,
  Invaſit torvi praelia pancratii; (c)

Tertia

(a) Pauſan. in Corinth. *Apud Argivos longe omnium templorum eſt nobiliſſimum Apollinis Lycii ... In eo templo eſt Ladas, qui pedum celeritate cunctos anteivit aetatis ſuae homines.*

(b) Pauſan. in Eliac. poſter. *Clitomachi Thebani ſimulacrum ſtatuit Hermocrates Clitomachi pater. Ejus maxime illuſtria opera haec fuerunt. Ad Iſthmum viros paleſtritas perculit, eodemque die de pugilatu palmam tulit, & eos qui in pancratium deſcenderant vicit.*

(c) Quid interſit inter luctam, pugilatum, & pancratium

Tertia dein validae ſubiit certamina luctae;
Victor & ex Iſthmo praemia terna tulit.
Contigit hoc uni Grajum; Thebae unde coronam
Inſignem tulerunt, ac pater Hermocrates.

De Jove (a) Phidiae. 4. 6. 3.

JUpiter ut fieri ſic poſſet, Phidia (*b*) caelum,
Phidiacam aut petiit Jupiter ipſe domum.

De templo Jovis Olympii. (c) 4. 20. 1.

HAec domus eſt Jove digna; queri ne poſſit Olympus,
Si pater huc domibus migret ab aetheriis.

tium, docet Ariſtoteles Rhet. l. 1. c. 63. *Qui poteſt premere fortiterque tenere, ad luctam eſt idoneus; qui longe a ſe pellere plagamque inferre, is erit pugil; qui in utroque valet, hoc eſt in lucta & in pugilatione, pancratiaſtes erit.*

(*a*) Loquitur de ſimulacro Jovis Olympii apud Eleos, *quod a Phidia factum*, ut ait Pauſanias in Eliacis, *inſcriptio ad Jovis pedes poſita teſtatur. Phidias Charmidae F. Athenienſis me fecit.* Cujus ſimulacri tanta fuit admiratio, ut inter ſeptem orbis terrarum miracula numeraretur; atque illud cuncti artifices ſuſpicerent, *nemo*, teſte Plinio, *aemularetur.*

(*b*) Non dubitavi ſcribere *Phidia*, nixus auctoritate Quintiliani; vel potius eorum, quibus nititur Quintilianus. Is lib. 1. cap. 4. docet non eſſe inuſitatum apud Latinos, ut maſculina Graeca nomina, quae in *as* exeunt, per *a* efferantur; atque ait idcirco apud Caelium legi, *Pelia Cincinnatus*; & apud Meſſalam, *benefecit Euthia*; & apud Ciceronem, *Hermagora*. addo etiam apud Horatium, *obeundus Marſya*.

(c) Praeter templum Jovis Olympii apud Eleos Phidiaco

De Venere Cnidia, & Minerva Athenienſi.

4. 12. 17. & 18.

AEquoream Cnidia Venerem (*a*) qui cernet in aede,
Laudabit Phrygii judicium Paridis.
Idem Cecropia ſi Pallada (*b*) cernet in arce,
Clamabit: vere, Phryx Pari, paſtor eras.

In Bacchum & Herculem, 4. 12. 33.

THebis orti ambo, clari armis, ex Jove nati
Ambo, thyrſiger hic, claviger ille deus.
Stant pariter metae (*c*) amborum. hic ſpolia hirta leonis,
Nebri-

illo dei ſimulacro nobilitatum, alia etiam Jovis Olympii templa memorantur. in his Athenienſe, de quo Pauſanias in Atticis. *Olympii Jovis templum Adrianus imperator dedicavit, & in eo ſignum, quod magnitudine cum Romanis, & Rhodienſibus coloſſis conferri poſſit. Videas ibidem & alia ſigna ex ebore, & auro, in quibus aeque artem, & magnitudinem admirere .... Eſt autem totius templi ambitus ſtadium amplius quatuor, neque ejus ulla pars ſtatuis vacat.*

(*a*) Haec Venus a Plinio l. 36. c. 5. omnibus omnium artificum eodem in genere operibus anteponitur, eaque dicitur Praxiteles Cnidum nobilitaſſe.

(*b*) Plura Minervae ſigna Athenis in arce fuiſſe dicuntur a Pauſania in Atticis: in his duo a Phidia facta, alterum ex Perſarum manubiis ab Athenienſibus, alterum, *quod omnibus*, ut ait, *Phidiae operibus antecellit*, a Lemniis dedicatum.

(*c*) Utriuſque metae ſive columnae orbem terrarum, quem luſtraverunt, aeque definiunt. Nam Hercules *itineris ſui monumenta*, inquit Apollodorus l. 2. *in Europae, ac Libyae finibus, oppoſitas inter ſe columnas duas conſtituit.* Liberi autem columnas *Dionyſius de ſitu orbis*, ſtatuit ad oceanum in extremis Indorum finibus. De quibus Curtius l. 7.
Tran-

Digitized by Google

Nebrida at hic gerit. hic cymbala, at hic crotala.
Junonem ſunt paſſi ambo. venere beatas
Ambo deum ad ſedes ignibus (*a*) e mediis.

De Baccho, & Pallade ſimul poſitis. 4. 12. 31.

Viator, Bacchus

V. NAm quid, Bacche, tibi cum Pallade? fortia Pallas
Praelia, tu molles ſemper amas epulas.
B. Hoſpes, ne temere tu res ſcrutare deorum.
Attamen huic audi quam ſim ego conſimilis.
Et mihi bella placent. Indi teſtantur, eoo
Quos late domui victor ab oceano.
Ambo virum robur firmamus; Pallas olivo,
Dulci manſuetae nectare vitis ego.
Me quoque vitales mater non fudit in auras;
Patris ego ſolvi ſed femur, (*b*) illa caput. (*c*)

Tranſierant jam Macedones Liberi patris terminos, quorum monumenta lapides erant crebris intervallis diſpoſiti, arboreſque procerae, quarum ſtipites hedera contexerat.

(*a*) Hercules ex pyra, quam in Oeta monte ſibi ipſe conſtruxit, a Jove in caelum raptus fuiſſe dicitur. Vide Ovid. Met. l. 9. eodem Bacchus illatus fertur ex cineribus matris Semelae, quae tacta fulmine conflagravit. Eurip. in Bacchis. *Exemit illum ex igne poſtquam fulminis, caeloque parvum Jupiter infantem tulit.*

(*b*) Ovid. Met. l. 3. *Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo eripitur; patrioque tener (ſi credere dignum eſt) inſuitur femori, maternaque tempora complet.*

(*c*) Palladem natam ex Jovis capite tradit Apollon. l. 4. Argonaut. & Callimachus in hymno in lavacra Palladis.

Hermae inſcriptum. 4. 12. 40.

HUnc, o viator, quem vides, Hermam putas
Vulgarem: at auctor ſcin' quis eſt mihi? Scopas. (*a*)

In ſimulacra Herculis (*b*) & *Antaei*. 4. 8. 11.

AEra quis haec duxit moeſtum clamantia? quanam
Arte labor fuſus, viſque animi indomita?
Vivum opus eſt certe. miſeret me dura ferentis
Antaei: horreſco robur & Herculeum.
Angit hic elatum dura inter brachia; vaſtum
Hic ſe contorquens pectore dat gemitum.

In Bacchae ſimulacrum 4. 3. 2.

HAnc cohibete, viri, Baccham; ne, ſaxea quamvis,
Avolet hinc, templo & concita profugiat.

Niobe (*c*) *Praxitelis*. 4. 9. 1.

EViva ſaxum dii me fecere: refecit
E ſaxo vivam Praxiteles Nioben.

In

(a) Scopas ſummus ille artifex, quem Horatius artis ſtatuariae inventorem, aut certe perfectorem putavit, quum illa ſcriberet l.4. oda 8. *artium quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas; hic ſaxo, liquidis ille coloribus ſolers nunc hominem ponere, nunc deum*: cujus caelo ſcribit Plinius duo illa orbis terrarnm miracula, Mauſoleum & Dianae Epheſiae templum, fuiſſe nobilitata: cujus opera urbem Romam ornantia idem Plinius l. 36. c.5. recenſet, ac miratur tam multa & tam praeclara ab uno homine fieri potuiſſe.

(*b*) Plinius l.34. c.8. *Polycletus fecit Herculem, qui Romae, Antaeum a terra ſuſtinentem*.

(*c*) Haec ſunt fortaſſe de Niobe poſita olim Romae in templo Apollinis Soſiani, *quam* ait Plinius l.36. c. 5. *haeſitatio eſt, Scopas, an Praxiteles fecerit*.

(1) Aes plorabundum quis condidit? arte labores,
Ausus et ingentes quis simulare animos?
Spirat opus: miseret me tristia sustentantis:
Fortem animosum horreo Amphitryoniaden.
Hicce fatigatum Antaeon complexibus angit:
Distorquet se, suspiriaque ille trahit.

Digitized by Google

In ſimulacrum apri Calydonii (*a*) 4. 7. 38.

AEreus eſt, quem cernis, aper; verum adſpice, fidens
Ut ruit! ut ſaevum ſpirat! ut horribiles
Dorſoque arrexit ſetas, frendetque minaci
Dente! igni ut torvis fulgurat ex oculis!
Ut labrum ſpuma rigat efferus! Agmina peſſum
Nil miror tali tot data ſemideum. (*b*)

Tropaeo inſcriptum. 3. 5. 26.

CEcropidae (*c*) Perſas bello vicere, ſuaeque
Servitium infelix depulerunt patriae.

De Aenea patrem ferente. 1. 87. 2.

ILiaco ex igni media inter tela parentem
Aeneas, gnato ſanctum onus, eripiens,
Clamavit: Danai ne laedite. vos ſene caeſo
Nil, patre ſed multum lucror ego incolumi.

(*a*) Quem aprum Diana ab Oeneo neglecta in agrum Calydonium immiſiſſe dicitur. Ovid. Met. l. 8. *Oeneos ultorem ſpreta per agros miſit aprum... Sanguine & igne micant oculi, riget horrida cervix, ſtantque velut vallum, velut alta haſtilia ſetae, fervida cum rauco latos ſtridore per armos ſpuma fluit, dentes aequantur dentibus Indis.*

(*b*) Heroas qui ad aprum interficiendum convenere enumerat ibidem Ovidius, eoſdem fere quos in venatione Meleagri, ſculpta in templo Minervae Aleae, deſcribit Pauſanias in Arcad.

(*c*) Nihil in Graecorum hiſtoria nobilius eſt pugna Marathonia, in qua exigua manus Athenienſium innumerabiles Perſarum copias proſtravit. Parta victoria, *eodem in loco Athenienſes*, ut ait Pauſanias in Atticis, *e candido marmore tropaeum poſuere*.

(1) E viva lapidem me dii fecere: sed ipsam
Praxiteles vivam reddidit e lapide.

E viva marmor me numina constituere:
Restituit vivam e marmore Praxiteles.

De matre Spartana . 1. 5. 1.

UT mater gnatum vidit Spartana relictis
Nudum armis muros profugere ad patrios,
Irruit, atque haſtam venienti pectus adegit
In medium, ſuper his exanimem increpitans.
I mentire genus patriamque, i degener, imos
Nec meus ad manes, nec Lacedaemonius.

Virgines (a) Mileſiae. 3. 23. 29.

O patrium Milete ſolum, te liquimus una
Et vitam, inceſtos fugimus & Galatas,
Virgineum intacto ſervantes corpore florem.
Quippe urbi Mavors jam ferus ingruerat,
Spes nec erat probrum, & diros arcere furores:
Deprenſis Orcus ſed fuit auxilio.

De patria Homeri . 4. 27. 4.

NOn Smyrnae tellus dium generavit Homerum,
Foecundae aut Colophon ſidus Iaoniae; (*b*)
Non Chios, Aegypti non pinguia rura, nec alma
Cyprus, praeruptae nec juga celſa Ithacae;

Non

(*a*) S. Hieronimus contra Jovinianum. *Quis valeat ſilentio praeterire ſeptem Mileſias virgines, quae Gallorum impetu cuncta vaſtante, ne quid indecens ab hoſtibus ſuſtinerent, turpitudinem morte fugerunt, exemplum ſui cunctis virginibus relinquentes, honeſtis mentibus magis pudicitiam cordi eſſe, quam vitam*. Tenendum tamen omnino eſt illud Auguſtini de Civit. Dei l. 1. c. 17. *Qui ſe ipſum occidit, homicida eſt, & tanto fit nocentior quum ſe occiderit: quanto innocentior in ea cauſa fuit, qua ſe occidendum putavit*.

(*b*) Iones dicuntur etiam Iáones, & Ionia Iaonia, vel, mutato α in η, Jeonia.

Non Argos (*a*) Danai, Cyclopeaeve Mycenae, (*b*)
Inclyta nec veterum moenia Cecropidum.
Terra virum haud genuit; ſed miſit ab axe, ferentem
Dulcia terrigenis munera, Calliope.

Sappho 3. 25. 65.

SAppho ego foemineum vinco genus omne, virile
Vincit ut omne genus carmine Maeonides.

De Sapphone ad puellas Lesbias. 1. 67. 12.

JUnonis magnae in lucum properate, puellae
Lesbides, o molli candida turba pede:
Pulcer ubi divae ſaliet chorus, & reget omnes
Auratae Sappho fila movens citharae.
Felices! namque illa deae quod dixerit, ipſam
Credetis carmen dicere Calliopen.

Stylus puellae litteratae 4. 32. 13.

ANte ſtylus fueram qui argenteus, aureus (*c*) eſſe
In manibus coepi, dia puella, tuis.
Cui quantum rarae adſpirans Amathuſia (*d*) formae,
Ingenii tantum Pallas amica dedit.

Hera-

(*a*) Argos Hippium, in qua urbe Danaus Beli filius, Aegypti frater, regnavit. Vide Apollod. lib. 2.

(*b*) Quarum moenia Cyclopes, quicunque demum ii fuere, fabricati eſſe dicuntur.

(*c*) Aureus ſtylus jure dicitur is, ex quo prodeunt quodammodo aurea dicta, ut Lucretius, aureoli libelli, & aureolae orationes, ut Tullius loquitur.

(*d*) Venus apud Virg. l. 10. *Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphus, atque Cythera*; ex quibus locis dicitur Amathuſia, Paphia, Cytherea.

Heraclitus (a) de ſe . 3. 33. 36.

Heraclitus ego. quid me vexatis inertes?
Nil vulgo, doctis omnia compoſui.
Unus homo mihi mille, at contra mille nec unus.
Hoc ipſis clamo Perſephonae in domibus.

In imaginem Pythagorae . 4. 33. 2.

Ipſum Pythagoram pictor, ſine voce; ſilendi
Doctor enim nil vult dicere Pythagoras.

Aſſus (b) de aquaeductibus factis ab Axiocho . 4.28.6.

Omnes Axiocho certatim fauſta precamur
Urbes (juvit enim, ceu deus, eximie
Omnes) verum Aſſus prae cunctis; ſtruxit aquarum
Cui ductus ſecto mirificos lapide.
Ne fuge (c) me poſthac, ne ſperne, viator: abundo
Dives frigidulis fontibus Axiochi

De

(a) Is qui σκοτεινὸς vocitatus eſt propter affectatam obſcuritatem. *cujus librum*, ut eſt apud Laertium in Socrate, *cum Euripides Socrati legendum dediſſet, rogaretque cujuſmodi videretur, is fertur reſpondiſſe: quae quidem intellexi praeclara ſunt; arbitror autem & ea, quae non intellexi; verum Delio aliquo urinatore indigent.* Qui ita ſcripſerit, ut ejus mentem Socrates ipſe philoſophorum acutiſſimus tamen aſſequi, atque expiſcari non potuerit, is mihi ne doctis quidem ſcripſiſſe videtur.

(b) Urbs Lelegum, ut ait Strabo l.13. *natura & arte munita, a mari & portu rectum & longum aſcenſum habens; ut ei convenire videatur illud Stratonici citharoedi: Aſſon eas propere, exitium ſi tu tibi quaeris.*

(c) Se, quamvis arduam adſcenſu, atque ob eam rem, ac fortaſſe etiam propter aquarum defectum, antea viatoribus inviſam, nunc dignam eſſe ait, quam iidem adire ac viſere velint, poſtquam aquis ab Axiocho ductis coepit abundare.

(a) Heraclitus ego: me quid ruis inscia turba?
Non tibi, sed doctis est mens hicce labor.
Unus homo, innumerorum instar mihi: nullius instar
Innumeri: ante ipsam haec praedico Persephonen.

De tholo ab Aſclapiodoto conſtructo. 4. 28. 10.

IPſum longa dies lapidem terit : at benefacta
Aſclepiodoti non teret ulla dies,
Dona bonus patriae tot tantaque contulit. adde
Omnibus haec celſi concava ſepta tholi.

Pan ad viatorem 4. 12. 78.

HEic prato in viridi feſſum depone viator
Corpus humi, & longo membra labore leva.
Heic impulſa levi Zephyro ſtrepit ardua pinus,
Dulcis & in ſumma fronde cicada canit:
Paſtor & agreſtes vicina in rupe cicutas
Inflat, ſub denſa propter aquam platano
Ille canem vitans aeſtivum. Pana monentem
Nunc audi, perges cras mage firmus iter.

Pan ad viatorem. 1. 20. 13.

HUc ades, hac ſubter pinu conſide, viator;
Verſa leves gratum quae ſonat ad Zephyros.
Heic per humum dulcis trepidat fons; heic ego ſomnos
Pan deus agreſti concilio calamo.

Calamus ſcriptorius. 1. 18. 1.

NUper canna fui ſterilis, non dulcia mala,
Gignere non ficus apta, nec uvae acinum.
Nunc addicta ſacris muſarum perque polita
Humorem labro contribuo e tenui;
Quumque bibi, ceu plena deo, curſoque papyrum
Per niveam, & muto quidlibet ore loquor.

AGA-

AGATHIAE

In Bacchae ſimulacrum 4. 3. 3.

HAnc ſculptor Baccham poſuit, pudibunda ciere
Nondum etiam doctis quae timet aes manibus;
Innuit & vultu; fors & clamabit: abite,
Arbiter hinc abſit, cymbala jam quatiam.

ALCAEI

De Philippo (a), Macyno expugnata. 1. 5. 16.

MAcyni effracta ſtat victor in arce Philippus.
Aeratas caeli, Jupiter, obde fores.
Jam tellus late, late aequora victa Philippo.
Reſtat, iter ſedes ut paret ad ſuperas.

De T. Quintio Flaminio Graeciae liberatore. 1. 5. 24.

HUc tulit arma olim Xerſes a Perſide; eodem
Huc Titus arma tulit nuper ab Auſonia.
Ille jugum cupiens Grajis imponere; Grajum
Impoſito hic cupiens (b) colla levare jugo. AL-

(a) Demetrii filio, Perſei patre. Is admodum adoleſcentulus quum eſſet, bellum geſſit adverſus Aetolos, eoſque magnis cladibus affecit, ac multa illorum oppida natura & loco munitiſſima expugnavit; in his, ut opinor Macynum, ſive ut Plinius & Strabo vocant, Macyniam. *Sed brevi*, ut ſcribit Pauſanias in Achaicis, *magno praelio ad Cynocephalas a Flaminio victus, & exercitus robur amiſit, & deductis praeſidiis earum, quas bello ſubegerat Graeciae urbium, imperio cedere ex foederis pacto convento coactus eſt. Pacem certe, non tam eventu utilem, quam nomine decoram, precibus, aut etiam pretio impetravit*. Multa de hoc rege cum alii hiſtorici, tum maxime Polybius Hiſt. l.4. & 5.

(b) Hoc Flaminius conſilio venit in Graeciam, hoc deinde

Nondum docta cita cava plangere timpana dextra
Baccha verecundans hocce stat e lapide:
Innuit en; similisque est talia vociferanti
Exite: ac quatiam nullus ubi astiterit.

Digitized by Google

ALPHAEI MITYLENAEI

De Homero 1. 67. 2.

ANdromachae audimus fletum (*a*). Trojamque videmus,
Ceu verſam, extremos conruere in cineres;
Et magnum Ajacis murorum ad ſepta laborem,
Et tractum Aemoniis Priamiden bijugis,
Maeonidae in libris: cui non urbs una, ſed omnis
Terra viro, late quam patet, eſt patria.

Ad Delum miſeram ab Antipatro vocatam 1. 58. 2.

SAncta o Latoidum (*b*) nutrix quam Jupiter ipſe
Immotam Aegeis fixit in aequoribus,
Non ego per divos miſeram te, Dele, vocabo;
Falſi

de re ipſa praeſtitit. Val,Max. l.3. c.8. *Philippo Macedoniae rege ſuperato,quum ad inſigne ſpectaculum Graecia conveniſſet, T. Quintius Flaminius tubae ſigno ſilentio facto,per praeconem haec verba recitari juſſit: Senatus, populuſque Romanus, & T.Quintius Flaminius,imperator, omnes Graeciae urbes, quae ſub ditione Philippi regis fuere, liberas, atque immunes eſſe jubet*. Rem totam multis verbis narrat Livius l.30.

(*a*) In libris, inquit, Homeri non tam legimus, quam ipſis quodammodo ſenſibus uſurpamus, quae ſcripta ſunt. Audimus miſerabilem ejulatum Andromachae virum ſuum Hectorem interemtum lugentis. (Iliad.l.22.v.475. urbem ob eam rem luctu funditus concuſſam non ſecus ac ſi jam tota igne cremaretur (Iliad. l.22. v.410.) Videmus laborem, quem Ajax tam longum ac tam magnum pertulit toto illo tempore quo Achilles ceſſavit, ac praecipue quum naves defendit (Iliad. l.15. & 16.) Videmus poſtremo ipſum Hectorem Achillis curru alligatum, ac foede raptatum (Iliad.22, v. 395.)

(*b*) Latoidum ſecunda brevi paſſim apud Graecos.

Falſa ſequar vani verba nec Antipatri. (a)
Felicem dico potius, quam clarus Apollo,
Quamque vocat patriam caſta Diana ſuam.

Ad Jovem de Romanorum victoriis : 1. 5. 18.

CAeli claude fores, magni regnator Olympi,
Serva ſumme arces Jupiter aetherias.
Jam pontum, terramque tenet Mavortia Roma;
Una poli ſedes invia reſtat adhuc.

ANACREONTIS.

De vitula (b) *Myronis* . 4. 7. 3.

PAſce, bubulce, boves alibi, ne forte Myronis
(Vivit enim ſpiratque) hinc abigas vitulam.

ANITAE

Venus litoralis 1. 38. 6.

CYpridos hic locus eſt; aequor de litore clarum
Quae vaſti aſſidue cernere amat pelagi;
Atque favet praeſens (c) nautis. tumefacta reſidit

Atque

(a) Antipater in eo epigrammate, cujus a me latine redditi initium eſt *O utinam inſtabili*. quod quidem edam ſuo loco, inducit Delum deplorantem ſuam ſolitudinem, ſeque vocantem, non ſolum deſertam, ſed etiam miſeram. id improbat Alphaeus, & flagitioſe ac ſtulte dictum eſſe confirmat.

(b) Plin. l. 34. c. 8. *Myronem Eleutheris natum, & ipſum Agelidis diſcipulum, bucula maxime nobilitavit, celebratis verſibus laudata, quando alieno plerique ingenio magis, quam ſuo commendantur.*

(c) Venus, quae, ut Catullus loquitur, *caeruleo creata ponto*, ut Ovidius, *Cytheriacis edita fertur aquis*, navigatio-

Unda metu, magnae quum videt ora deae.

A N T I P A T R I

De Aria Tarſenſi curſore. I. I. 3.

TArſe, Arias Menecli proles pulcerrima, veſtrum,
Pol, non auctorem (*a*) Perſea dedecorat.
Flammeus alato currit pede; nec ſua Perſeus
Antevolans illi terga videnda daret.
Carceribus licet hunc in primis, vel prope metam
Cernere; ſed medio non licet in ſtadio.

De Nicophonte Mileſio luctatore. I. I. 5

TAurinaeque toros cervicis, caelifer Atlas
Et ſibi quos potius vellet habere humeros.
Herculeaſque comas, hirſutaque menta, leonis
Et Lybici obtutu lumina fulmineo
(Nicophoon, Milete, gigas tuus, ut ſtetit, ingens
Luctator, palma clarus Olympiaca)
Ipſe quoque, Elei reſidet qui vertice montis,
Conſpiciens, credo, Jupiter extimuit.

In

---

tioni praeſſe putabatur. nec aliam ob cauſam Horatius oda 3. navi, quam conſcenderat Virgilius, Cypri potentem deam, id eſt Venerem, propitiam optavit. Confirmant hoc Aphrodiſia, Veneris feſta, a nautis celebrata, teſte Plutarcho in eo opere, quo probat non poſſe jucunde vivi ſecundum Epicurum.

(*a*) Tarſum Ciliciae urbem alii ab alio conditam memoriae prodiderunt. Tarſenſes Perſeum Jovis & Danaes filium eorum urbis conditorem fuiſſe gloriabantur: quem acceptis a Mercurio talaribus per aerem volitaſſe, longiſſimoſque locorum tractus incredibili celeritate percurriſſe tradunt mythologi. Vide Ovid. Met. l.4.

In Venerem Spartae armatam. 4. 12. 24.

NEc Venus heic Spartae, peplos induta fluentes;
Foeminea, ut paſſim, corpora veſte tegit.
Sed pulcrum galea condit caput, aurea poma
Et ſpernens, molli concutit arma manu.
Et merito: nec enim divam decet eſſe ſine armis,
Vel Martis ſociam, vel Lacedaemoniam.

De templo Dianae Epheſiae 1. 1. 54.

CRebris trita rotis Babylonis (*a*) moenia celſae,
Propter & Alphei pulcra fluenta Jovem, (*b*)
Pendenteſque hortos (*c*) vidi, Soliſque coloſſum (*d*),
Vaſtaque magnarum pondera pyramidum (*e*),

Mau-

(*a*) Babylonis moenia tradit Diodorus fuiſſe alta pedes CC. lata pedes L. de quibus Propertius l.3. e 11. *Perſarum ſtatuit Babylona Semiramis urbem, ut ſolidum cocto tolleret aggere opus: & duo in adverſum miſit per moenia currus, ne poſſent tacto ſtringere ab axe latus.*

(*b*) Jovem Olympium, Phidiae opus, de quo ſupra.

(*c*) Plin. l.19. c.4. *Antiquitas nihil prius mirata eſt, quam hortos penſiles, ſive illos Semiramis, ſive Aſſyriae rex Cyrus fecit.*

(*d*) Plin. l.34. c. 7. *Ante omnes in admiratione fuit Solis coloſſus Rhodi, quem fecerat Cares Lyndius Lyſippi diſcipulus. LXX. cubitorum altitudinis fuit. Hoc ſimulacrum poſt quinquageſimum annum terrae motu proſtratum; ſed jacens etiam miraculo eſt.*

(*e*) Plin. l.38. c.12. *Pyramides in eadem Aegypto, regum pecuniae otioſa, & ſtulta oſtentatio. In his tres, quae orbem terrarum implevere fama, conſpicuae undique adnavigantibus . . . ampliſſima, octo jugera obtinet ſoli.*

Mauſolique (*a*) ingens immani mole ſepulcrum.
Verum idem ut nubes condere in aerias
Vertice ſublimi vidi ſe templa (*b*) Dianae;
Illa tot oblito mi ſubito ex animo
Exciderunt miranda. altum ſol praeter Olympum
Tale nihil curru cernit ab aerio.

In librum Arati, I. 46. I.

HIc liber eſt Arati, (*c*) ſolerti carmine quondam
Aeterna aſtrorum lumina qui cecinit;
Erranteſque polo ſtellas, certaque locatas
Sede, quibus caeli ſe rotat apta domus.
Salve Arate: o vates mirande! o Jupiter alter,
Sidera quem propter fulgidiora micant!

B De

(*a*) Plin. l, 36. c. 5. *Sepulcrum hoc eſt ab uxore Artemiſia factum Mauſolo Cariae regulo. Opus id ut eſſet inter ſeptem miracula, ii maxime artifices* (Scopas, Bryaxis, Timotheus, & Leochares) *fecere*.

(*b*) Plin. l. 36. c. 14. *Magnificentiae vera admiratio extat templum Epheſiae Dianae, ducentis viginti annis factum a tota Aſia. Univerſo templo longitudo eſt CCCCXV. pedum, latitudo CCXX: columnae CXXVII a ſingulis regibus factae LX pedum altitudine: ex iis XXXVI caelatae, una Scopae. operi praefuit Cherſiphron architectus*.

(*c*) Cic. de Orat. l. 1. c. 2. *Conſtat inter doctos, hominem ignarum Aſtrologiae, ornatiſſimis atque optimis verſibus, Aratum de caelo ſtelliſque dixiſſe*. Id carmen, inſcriptum *Phenomena*, Tullius vertit latine: hic autem Antipater tanti facit, ut, eo ſcripto, ſidera clariora facta eſſe dicat, & Aratum ſiderum illuſtratorem, Jovi eorundem conditori non abſimilem fuiſſe judicet.

De quatuor Victoriis in Caji domo pictis . 1. 54. 2.

O Cai (*a*), Romae columen, Victoria jure
Quadruplex veſtram picta domum decorat.
Una volans humero fert Pallada, & altera Martem;
Tertia at Alciden, quarta gerit Venerem.
Alcides nam te fortem, Venus alma beatum
Prole, catum Pallas, Mars facit intrepidum.

De puero & matre . 1. 87. 6.

Reptabat, jam jam tecto lapſurus ab alto,
Parvus & ignorans tanta pericla puer.
Hunc manimam exertans mater de morte reduxit,
Et vitam oblato bis pia lacte dedit.

Vacca Myronis . 4. 7. 13.

Mugiet haec tua bos. non ſolus namque Prometheus,
Sed tu etiam fingis corpora viva, Myron.

ANTIPATRI SIDONII

De vacca Myronis . 4, 7. 8.

Quid mugis? (*b*). mammas avido quid corripis ore?
Lac, vitule, ars mammis indere non potuit.

De Sapphone . 1. 67. 9.

Mnemoſine audivit Sappho; mirataque carmen:
Unde, ait, hanc tellus muſam habuit decimam?

AN

(*a*) Hic, in quo appellando Antipater ſolo praenomine utitur, quiſnam fuerit, divinare non poſſum: hoc tantum ſuſpicor, fuiſſe illum Piſonem, ad quem duo alia carmina ſcripſit, alterum ſuo, alterum Theogenis nomine.

(*b*) Simile eſt quod narrat Plinius l. 35. c. 9. de equis, Apellis equo conſpecto adhinnientibus.

(b) Quid mea succedis vitule ilia? Quid mihi mugis?
Ars intus nullum lac dedit uberibus.

Digitized by Google

ANTIPATRI THESSALI

In novem poetrias (*a*) 1. 67. 8.

FLorifer has Helicon cantu praeſtante puellas
Nutriit, ac, rupes Pieriae Macetum.
Praxillan, Myroque, Anytenque, & Lesbida Sappho.
(Sappho foeminei Maeoniden generis)
Erinnam, & claram Teleſillan, atque Corinnam,
Auſa eſt quae ſcutum ſcribere Palladium.
Noſſida ſuaviloquam, mellito & gutture Myrtin;
Omnes aeterni carminis artifices.
Aſtra novem muſas, totidemque has terra creavit,
Perpetuam humano laetitiam generi.

ANTIPHILI

Viator, (*b*) & *poemata Homeri Ilias*, *ac Odyſſea*. 1. 67. 3.

V. DIcite, quaenam eſtis? quid fertis? P. Troica geſta
Narramus duplex Maeonidae ſoboles.
Altera Pelidae ſtomachum, bellique decennis
Praelia, & Hectoreae fortia facta manus;
Altera Dulichii curſum ducis, atque labores,
Et flentem in vacuo Penelopen thalamo.
V. Salvete o, quarum divina ob carmina, noſtra haec
Undenas numerant ſaecula Pieridas.

(*a*) Harum carmina edidit Fulvius Urſinus: notitiam ſuppeditat Fabricius in Bibl. Graeca.

(*b*) Res erit veriſimilior, ſi viator Iliadem & Odyſſeam, virginali habitu ſculptas, vel pictas, quam ſi eaſdem ſcriptas lector alloquatur.

Rhodus a Nerone (a) illuſtrata. 1. 58. 5.

Quae Solis fueram Rhodus inſula, Caeſaris eſſe
Coepi, aeque amborum clara micans radiis.
Quum prope deficerem languenti luce, Neronis,
O Sol, mi pulcro, fulſit ab ore jubar.
Quid dicam? quis me plus juvit? prodidit alter
Merſam, mergendae ſed tulit alter opem.

Parva inſula, ſed frugifera. 1. 58. 4.

Parva, ferax pulcris at vitibus, ac terebynthis,
Planaque ſum, glebis mollis & uberibus
Inſula. circumſtant aliae; magnaeque feruntur,
Et ſunt; verum illis nudus & aſper ager.
Fructibus, haud ſtadiis certamus. ſulcus arenis
Niliacus Libycis an minor invideat? (b)

Ad

(a) Haec ſcripta ſunt vel de Tiberio Nerone, vel, quod verius puto, de Nerone Claudio. illum tradit Suetonius, nondum ad imperium evectum, florente fortuna, Rhodum seceſſiſſe, ac totum ſeptennium ibi manſiſſe; hunc ait, apud Claudium, a quo erat adoptatus, graece pro Rhodiis verba feciſſe. nec fruſtra fecit, teſte Tacito; cujus ſunt illa verba l. 12. *Eo oratore redditur Rhodiis libertas, ademta ſaepe, aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi ſeditione deliquerant.* hujus libertatis, agente Nerone, recuperatae cauſa, ab illo aeque atque a Sole, in cujus tutela erat, Rhodus ſe illuſtrari confirmat: aeque magnum eſſe beneficium, quod ab utroque acceperit. Solis beneficio factum eſſe, ut e maris, in quo latebat, fluctibus emergeret; Neronis beneficio, ne adverſae fortunae fluctibus mergeretur.

(b) An arva Aegypti, quae Nilus alluit ac foecundat, cedent majoribus, at infoecundis & arenoſis Libyae ſolitudinibus?

Ad Sabinum de navi (*a*) *coriacea* . 1 . 57 . 14.

LIgnator, ſilvas ratibus ne caede ſtruendis;
Pro pinu aequoreas ſulcat aquas corium.
Nec rigido clavus jam ferro aut aere carinae
Compagem, at lini mollia vincla tenent.
Et, modo quas habuit puppes mare, terra rotarum
Orbibus impoſitas pondera ferre videt.
Argo mira fuit : magis eſt at mira, Sabine,
Haec tibi Palladia condita puppis ope.

ANTIPHILI BYZANTII.

De Medea (*b*) *Timomachi* 4. 9. 8.

FLet, furit; odit, amat Medea in imagine; prolem
Et ſervare ſuam & perdere vult eadem;

(*a*) Naves coriaceas Lucanus breviter deſcribit his verbis *Primum cana ſalix madefacto vimine parvam texitur in puppim caeſos induta juvencos*. Hujuſmodi navium mentionem facit in Clio ſcriptor antiquiſſimus Herodotus; eodem genere navium Britannos uti ſolitos tradit Plinius l. 7. c. 56. & l. 4. c. 16. eodem ſcribit Dio in Auguſto, Caeſarem uſum eſſe in bello contra Sex. Pompejum. Itaque Antiphilus aut ignoratione, aut adulatione labitur, quum de Sabino ſic loquitur, ut eum coriaceae navis inventorem facere videatur, atque ob eam rem a Pallade adjutum eſſe dicat, atque ipſis Argonautis anteferat, *diva quibus retinens in ſummis urbibus arces, ipſa levi fecit volitantem flamine currum, pinea conjungens inflexae texta carinae*, ut eſt apud Catullum in Epithal. Pel. & Thet.

(*b*) Plin. l. 35. c. 11. *Timomachus. Byzantius Caeſaris dictatoris aetate Ajacem ei pinxit, & Medeam, ab eo in Veneris*

Et ferrum intentat jugulo, vultumque retorquet;
Nec dirum abrumpit, nec peragit facinus.
Hoc ſatis: abſtinuit (*a*) natorum ſanguine ab ipſo,
Non Colchis, Graji at dextera Timomachi.

ARCHIAE

Priapus litoralis. 1. 38. 10.

PArvus ego in ſpeciem, mergo fugiente, (*b*) Priapus
Litoream hanc pilam ſto tamen uſque ſuper,
Et capite abnormis, pedibus nec fultus; in acta
Qualem piſcantum me rudis ars poſuit.
Siquis at auxilio, calamos vel retia tractans,
Me vocet, adcurro vel Zephyro citior;
Quaeque meant ſub aquis cerno omnia. Quaerat, opinor,
Qui ſapit, haud formas, at benefacta deum.

In obitum Alexandri 3. 14. 19.

HEctore cum magno cecidit verſa Ilios, arma
Nec poſt in fortes ulla tulit Danaos.
Pella & Alexandri leto eſt male perdita. florent
Non patriis cives, civibus at patriae.

In

neris Genitricis aede poſitas, octoginta talentis venundatas. eandemque Medeam numerat inter *ſuprema opera artificum, quae imperfecta ait in majori admiratione eſſe, quam ſi eſſent perfecta*.

(*a*) Abſtinuit, inquit a ſanguine ipſo, non effundendo Medea barbara mulier in Colchide nata, ſed pingendo Timomachus homo natus in Graecia, ſede illa & domicilio humanitatis.

(*b*) Tempeſtate ingruente, *cum medio celeres revolant ex aequore mergi*, ut ait Virg. Georg. l. 1. v. 360.

(a) Magnum animum, vivi formam Lysippus et omnem
Finxit Alexandri. Quantus in aere vigor!
In caelum ille oculos intendens: Jupiter, inquit,
Subda mihi terram, tu tibi Olympon habe.

Digitized by Google

ASCLEPIADAE

In Alexandrum (a) Lyſippi. 4. 8. 37.

QUantus Alexander Lyſippi ſpirat in aere !
Quae ducis e vultu vis (*b*) micat eque oculis !
Ora etenim ad caelum tollens : o Jupiter , inquit ,
Laetus habe caelum tu tibi , terra mea eſt .

Ad Heſiodum. 4. 27. 21.

TE , dum paſcis oves (*c*) medio jam ſole , Camoenae
Celſo viderunt , Heſiode , in nemore :
Et tibi continuo chorus omnis ſacra tulere
Certatim lauri germina Apollineae ,
Humoremque almum , Parnaſſias Hippocrene
Quo fluit , aligeri fons pede ruptus equi .
Haec tulerunt ; ſatur his cecinisti , magne poeta ,
Quod genus eſt divis , quodque opus agricolis .

(*a*) Horat. l. 2. ep. 1. loquens de Alexandro : *Edicto vetuit , ne quis ſe praeter Apellem pingeret , aut alius Lyſippo duceret aera fortis Alexandri vultum ſimulantia*. Idem hoc narrat Plinius l. 7. c. 37. *edixit ne quis ipſum alius , quam Apelles pingeret , quam Pyrgoteles ſculperet , quam Lyſippus ex aere duceret* .

(*b*) Hujus artificis propria laus fuit , teſte Propertio , *animoſa effingere ſigna* . quos mihi animos mirifice expreſſiſſe videtur auctor hujus carminis Aſclepiades , vel , ut aliis placet , Archelaus .

(*c*) Quae heic narrantur de Heſiodo , ea ſcribit Heſiodus de ſe ipſe initio Theogoniae ; quod carmen ſignificatur illis verbis *quod genus eſt divis* ; aliud autem quod inſcribitur *opera & dies* , illis *quod opus agricolis* .

Digitized by Google

In imaginem Berenicis . 4. 4. 11.

CYpridis haec pulcrae, pulcrae an Berenicis (*a*) imago ?
Utrique eſt ſimilis . cui magis , id dubito .

BASSI

De trecentis Spartanis . 1. 5. 20.

IRe iterum (*b*) in Stygia tercentum Pluto carina
Quum vidit , pubem belligeram , juvenes :
Noſco, ait ; haec Spartae claſſis . viden' omnibus ante
Ut pulcrum adverſo in pectore vulnus hiat ?
Martia turba , veni ; longo & ſatiata labore ,
Sterne meis ſomno te placide in domibus .

De Germanici (c) victoriis . 1. 5. 5.

ALpini ſaltus , atque ardua ſaxa Pyrenes ,
Et Rheni tellus proxima gurgitibus ,

Vos

(*a*) Berenice, que hoc carmine laudatur,eſt illa fortaſſe , quam item Theocritus , aequalis Aſclepiadae hujus Samii, in Encomio Ptolemaei laudat verſibus , quos ſic interpretor . *Hanc olim Cypris , pulcrae formoſa Diones nata , manu tetigit mulcens , omneſque per artus divinum fudit formae caeleſtis honorem .*

(*b*) Bis caeſi ſunt ab hoſtibus treceni Spartiatae ; ſemel in agro Thyreate praeliantes cum Argivis , duce Othryade ; iterum praeliantes cum Perſis ad Thermopylas , duce Leonida . De illis agit Herodotus in lib. I. , de his , in lib. VII. Pluto poſteriores idcirco agnovit , quod erant prioribus omnino ſimiles , atque adverſis vulneribus in pectore hiantibus aeque inſignes .

(*c*) Germanicus , de quo haec ſcripta ſunt a Baſſo,quem Tiberii aetate vixiſſe comperio , eſt ille Germanicus Druſi & An-

Vos eritis teſtes , Celtas (a) Germanicus acres
Fulmineus quantis perculerit radiis ;
Quam denſi cecidere . tuens Bellona Gradivum ;
Tam fortes , dixit, jure manus ſequimur.

Ad Aeneam . 1. 70. 3.

PArcarum leges regali ſanguine cladem
Sanxerunt urbis luctificam Iliacae (b).
At tibi jam claſſis tenet Itala regna , futuro
Inde Iovi , Aenea , morte obita , indigeti (c)
Felici periit caſu Ilios ; unde ſuperbum
Extulit urbs , orbem quae regat una , caput .

De equo in navi efferato . 1. 33. 15.

ADſuetus campis non fluctibus , ire per altum
Quod negat in curvis puppibus acer equus ;
Hin-

& Antoniae filius , cujus res in Germania praeclare geſtas narrat Tacitus l. 1. & 2. Annal. ; quemque affirmat , habitum eſſe non minus fortem Alexandro Magno *praeliatorem ; etiamſi temeritas abfuerit , praepeditusque ſit perculſas tot victoriis Germanias ſervitio premere* .

(a) Celtarum nomine hoc loco , non Galli , ſed Germani ſignificantur . Id nomen docet Cluver. Germ. Antiq. l. 1. & 2, olim latiſſime patuiſſe , ac pleriſque Europae gentibus fuiſſe commune ; tum deinde ita contractum eſſe ut tamen aeque Germanos ac Gallos ſignificaret , cujus rei ſexcenta paſſim apud ſcriptores teſtimonia exſtare.

(b) Priamus Pyrrhi manu ad aram Jovis Hercaei confoſſus eſt ejuſque ſanguine ſancitum excidium urbis Trojanae.

(c) Tibul. l. 2. e. 6. *Illic ſanctus eris, quum te veneranda Numici unda Deum caelo miſerit indigetem* . Livius l. 1. *Situs eſt* (Aeneas), *quemcumque eum dici jus faſque eſt , ſuper Numicum fluvium . Jovem Indigetem appellant* .

Hinnitumque ferus tollit , ſaevoque carinam
Calce petit , dura & rumpere vincla furit ;
Nil mirum eſt : oneris pars abnuit eſſe , vehique ,
Ille noti citior flamine , turpe putat .

De ruina domus puero innoxia. I. 14. 3.

CObruit ad terram domus alto a culmine ; ſupra
Sed puerum pluma vel Zephyro levior
Sedit , molli aevo parcens . gaudete , parentes ;
Maternus tangit ſaxa (*a*) vel ipſa dolor .

BOETHI

De Pylade ludio . I. 11. 2.

SI talis (*b*) ſacri ad culmen veniſſet Olympi
Liber cum Bacchis & Satyrûm thyaſo ;
Qualem illum Pylades , toto plaudente theatro ,
Saltavit leges mirifice ad tragicas ;
Dixiſſet Juno veteres oblita dolores :
Mentita eſt Semele ; Bacchum ego progenui .

CAL.

(*a*) Saxa , ut ait , ipſa matrum miſericordia capiuntur , ac ſentiunt quodammodo eum dolorem , quo miſerae vel torquentur quum pueros in lucem edunt , vel anguntur quum illos morte amiſerunt .

(*b*) Si talis , inquit , Bacchus , cum Baccharum & Satyrorum comitatu , caelum ingreſſus eſſet , qualem illum ſaltavit Pylades , Juno , illo , quo flagrabat , novercali odio reſtincto , atque in amorem converſo , eum non Semelae, ſed ſuum eſſe filium exclamaſſet . Fuit hic Pylades pantomimus nobilis , ac floruit ſub Auguſto . *Qui* tamen , ut ſcribit Sueton. in Octav. *illum urbe , atque Italia ſubmovit ; quod ſpectatorem , a quo exſibilabatur , demonſtraſſet digito , conſpicuumque feciſſet* .

CALLIMACHI

De Aſtacida . 3.27.3.

CRetaeum Aſtaciden, paſcentem in monte capellas,
Nympha tulit (*a*) longe . nunc ſacer Aſtacides
Dictaeis habitat ſub quercubus : uſque canemus
Paſtores nec jam Daphnin at Aſtaciden.

CRINAGORAE

Praeilarum facinus militis Italici . 1. 5. 21. (*c*)

QUis nunc Othryadem (*b*) Spartae decus, aut Cynegirum
Aut quoſcumque canit fama vetus, memoret?
Autonius (*d*) miles Rheni prope flumina, poſtquam
Conciderat multo vulnere ſemianimis,
Raptam aquilam ut ferri denſa inter millia vidit;
Caede virum exſiluit fervidus e media, Pro-

(*a*) Nota eſt fabula Hylae a nymphis rapti . ſimile quiddam huic Aſtacidae contigiſſe fabulatur Callimachus: eum non eſſe ſcilicet mortuum, ſed raptum a nympha, atque abditum in nemus Dictaeum ; dignumque ob eam rem, quem paſtores cantare nunquam deſinant, omiſſo Daphnide illo Siculo, de quo tam multa ſunt apud Theocritum, & alios carminis bucolici ſcriptores.

(*b*) Qui vulneribus confectus tropaeum Iovi ſuo ipſe ſanguine inſcripſit; ac victoriam patriae adjudicavit. Vide Plutarch. in parallel.

(*c*) Cui Perſicam navim tenenti manus vel altera, ut narrat Herodotus in Erat:, vel, ut aliis placet, utraque abſciſſa eſt.

(*d*) De hoc milite nihil reperio apud hiſtoricos: cladem autem cujus ſit mentio ab hoc Crinagora, quem Auguſti aetate vixiſſe conſtat, arbitror eſſe illa Varianam, *exitiabilem*, ut ait Suetonius in Octav., *tribus legionibus, cum duce, legatiſque, & auxiliis omnibus, caeſis*.

Proſtravitque hoſtem leto, ſignumque recepit,
Invictuſque unus, verſa acie, occubuit.

De Roma. 1. 5. 6.

OCeanus non ſi fluctus pater incitet omnes,
Rhenum & ſiccatis barbara turba vadis (a)
Ebibat; infriget Romae decus, acer habenas
Romani Caeſar dum reget imperii.
Sic Iove freta ſuo ſtat quercus celſa: frementes
Sicca modo at venti decutiunt folia.

De Marcello. (b) 6. 22. 3.

HEſperio (c) rediens Marcellus victor ab orbe
Montoſae ut fines attigit Auſoniae,
Menti florem ipſum detaſit; miſit in arma
Quem puerum, (d) ut reducem Roma virum acciperet.

Capella Caeſar altrix 1. 33. 19.

ME pingui ante alias diſtentam lacte capellas,
Quaecumque ad mulctram lacte graves veniunt;

Ca-

(a) Hoc item carmen ſcriptum videtur, eadem clade Variana ex Germania nunciata. *qua audita*, inquit Suetonius, *Auguſtum adeo conſternatum ferunt, ut per continuos menſes, barba capilloque ſubmiſſo, caput interdum foribus illideret, vociferans: Quintili Vare, legiones redde*.

(b) Auguſti ſororis filio, ac deinde genero. de quo Virg. Aeneid. l.6. & alii paſſim.

(c) Ex Hiſpania, quo ab Auguſto miſſus videtur una cum Agrippa in expeditionem Cantabricam, de qua Dio l.53. & Horat. ep.12. l.1.

(d) Magna haec Marcelli eſt laus, quod victoriis clarus redierat ea aetate, qua alii militare vix incipiunt.

(a) Non ab Meſsene, neque sum luctator ab Argis:
Sparta virum mater, Sparta mihi patria est.
Illi equidem arte dolisque: ego vero, quod decet
unum
Laconum pueros, nonnisi vi supero.

Captus nempe mei jucundo nectaris hauſtu,
Caerula Neptuni per vada Caeſar agit.
Forſitan & ſtellas (a) inter vehar. ubere pleno
Quem pavi, magno eſt non minor ille Iove.

DAMAGETI

Athleta Spartanus 1. 1. 6.

NOn ego Meſſena venio, non miſſus ab Argis
Luctator: Sparta, Sparta mihi patria eſt.
Illi arte atque dolis vincunt; (b) ego, vincere par eſt
Ut Lacedaemonium, viribus indomitis.

In imaginem Ariſtagorae 3. 5. 12.

SIc clypeum Ambraciae oppoſuit pro moenibus audax,
Praeque ſuga mortem cepit Ariſtagoras

Teu-

(a) Non deſperat futurum, ut quae Auguſtum Iovi parem nutrierit, inter ſidera collocetur, aeque ac illa Iovis nutrix capra Amalthea. de qua Ovid. faſt. l. 5. *Illa dati caelum praemia lactis habet*.

(b) Honeſtius eſt vi quam dolo adverſarium dejicere. alterum Lacon ſibi arrogat, alterum Meſſeniis & Argivis, Lacedaemoniorum hoſtibus, ultro concedit. Habebant hoc Lacones, ut corporum robori, & animi firmitati omnia tribuerent; his ſe rebus praeſtare ceteris gentibus gloriarentur; artes quibus naturae bona juvantur atque augentur, non magni facerent; ad ipſam luctam, quam omnium certaminum verſutiſſimum & artificii pleniſſimum vocat Plutarchus (Sympoſ. l. 2. q. 4.) plus animi, & virium, quam artis & calliditatis afferrent. In quo ſe erraſſe, magno ſuo malo ad Leuctra didicerunt; ubi teſte eodem Plutarcho (Sympoſ. l. 2. q. 3.) a paleſtrae peritis hominibus loco moti, atque ingenti clade affecti ſunt.

Teupompi (*a*) ſoboles . nec mirum : Doricus , (*b*) hoc vir
Ingenio eſt ; vitae non timet , at patriae .

DIODORI

Ad Druſum eximiae indolis puerum . 1. 31. 3.

ADraſtea (*c*) , puer , te ſervet , quaeque beatis
Pone ſubit gaudens fallere ſpem Nemeſis .
Iſtam ſeu metuo formam tibi , vimque ſagacis
Ingenii , & robur corporis , & ſapiens
Conſilium . eſſe etenim talem te , Druſe , videmus ,
Eſſe deum quales fama refert pueros .

DIO-

(*a*) Dixi *Theupompum* more Graeçorum , eodem jure, quo Ovidius *Teudotum* in eo carmine , quod ſçipſit in Ibin.

(*b*) Homines inquit Dorici nominis , cujus generis erat hic Ambraciota (Ambracia enim fuit colonia Corinthorum, ut tradit auctor Periergeſeos ; Corinthii autem praecipui inter Dorienſes numerabantur) ita natura comparati ſunt, ut non de ſua ipſorum vita , ſed de patriae ſalute, ac libertate ſoliciti ſint .

(*c*) Ex una eademque dea , quae & Adraſtea , & Nemeſis vocatur , duas hic Diodorus feciſſe videtur ; niſi forte eandem , idcirco appellat duobus nominibus , quod non eadem notio utrique nomini ſubjecta eſt . Ariſtot , de Mundo : *Nemeſim , inquit , appellant , quia ſingulis diſtribuit. Adraſteam , quia nemo eam effugere poteſt* .

(*d*) Hunc Druſum puto eſſe de quo in ipſo aetatis flore mortuo in Germania , eſt conſolatio incerti auctoris , fortaſſe Albinovani , ad matrem Liviam Auguſtam . ubi haec de juvene rogo impoſito dicuntur. *Vritur heu decor ille viri , generoſaque forma , & facilis vultus ; uritur ille vigor , victriceſque manus , facundaque principis ora , pectoraque , ingenii magna capaxque domus . ſpes quoque multorum flammis uruntur in iſdem* .

DYONISII

Ad Muſam de quodam bellatore. 1. 5. 17.

MUſa alium caeli vitales profer in auras
Maeoniden, alium Mars tulit Aeaciden. (a)

DIOTIMI

In Herculem & Antaeum (b) 1. 1. 2.

EXarſere truces dura exercere juventam
Lucta, hic Neptuni filius, ille Jovis.
Nec pugnae pretium ſtant fulvo ex aere lebetes,
Ipſa ſed heroum vita vel interitus.
Victus planxit humum Antaeus: vincis Jove nate,
Ut fas. Argivum eſt lucta opus haud Libycum.

DIOSCORIDAE

De Tynnicho Thraſybuli patre. 3. 5. 10.

EXtinctus Pitanae clypeo (c) Traſybulus in amplo
Venit; ſepteno vulnere quem domuit
Argivus Mavors tranſfoſſum pectora. flammae
Imponens gnatum Tynnichus at genitor:
Flendum, ait ignavos: digno Lacedaemone meque,
Gnate, tibi ſiccis ſolvo ego juſta genis.

DIO-

(a) Haec legenti veniebat in mentem illius L. Sicini Dentati, quem Achillem Romanum eſſe appellatum tradit Gellius l. 2. c. 11. Etiam Virgilius de Turno: *alius Latio jam partus Achilles.*

(b) Apollodor l. 2. *Libyae rex erat Antaeus Neptuni filius, qui hoſpites luctari coactos interficiebat. hunc Hercules eadem ſibi luctandi neceſſitate impoſita, ſublimem a terra ulnis eliſum interemit.*

(c) Oppido Laconiae, de quo Plin. l. 4. c. 5.

De Demaeneta Spartana . 3. 5. 32.

QUos miſit gnatos octo Demaeneta in arma,
Uno omnes mater condidit in tumulo:
Nec flevit, verſo nec vultu palluit; unum at
Dixit: Io Sparte, hos tibi ego peperi.

EVENI

De Venere Cnidia 4. 12. 13.

PAllaſque & Juno Cnidiam (a), dixere, videntes:
Iure olim nobis hanc Paris antetulit.

Vacca Myronis 4. 7. 5.

AErea vel pellis vaccam tegit: aere vel intus
In medio vaccae clauditur ipſa anima. (b)

De Vacca Mynonis. 4. 7. 6.

IPſe Myro (c) attonitus: haec, dicit, bucula vera eſt.
Fuſa mihi huic ſimilis bucula quonam abiit?

Ilium ſervatum ab Homero. 1. 70. 1.

HOſpes, me, celſis vallatam turribus urbem,
Ilion, obſcuros omnivorum in cineres
Aevum hauſit: magni divino in carmine Homeri
Sto tamen aeratis undique clauſa feris;
Nec metus eſt, haſtis unquam ne laedat Achaeis,
Semper in Argiva nobilis hiſtoria.

GER.

(a) Venerem Praxitelis, de qua ſupra dixi.
(b) Petron. in Satyr. *Myron, qui paene hominum animas, ferarumque aere compraehenderat.*
(c) Zeuſis ſuo artificio aves, Parrhaſius Zeuſim decepit. Myron, quod multo eſt admirabilius, ſe ipſum decepiſſe a poeta dicitur.

(a) Martia progenies, Hector, tellure sub ima
Jus audire tamen si mea verba tibi,
Respira, quoniam vindex tibi contigit haeres,
Qui patriae famam
Ilios en surgit rursum inclyta, gens colit illam
Te Marte inferior, Martis amica tamen.

GERMANICI (*a*)

Ad Hectorem de Troja reſtituta. 1. 70. 4.

ARmipotens Hector, terra haec ſi conditus audis,
Deſine jam patriae caſibus ingemere.
Troja iterum colitur (*b*), pubem ſortita virorum;
Non tibi Marte parem, ſed tamen armigeram.
Myrmidones contra nuſquam ſunt. dicito Achilli,
Iam ſervire omnem Theſſaliam Aeneadis.

JULIANI

De Matre Spartana. 1. 5. 3.

TOrva tuens gnatum mater Spartana fugacem
Perculit, illa negans ſanguinis eſſe ſui.
Nam genus una probat verum Lacedaemone virtus,
Haec ubi abeſt, partus gratią pro nihilo eſt.

In imaginem Theodotes. 3. 12. 29.

IPſam Theodoten pictor. cur lapſus in arte
Non eſt? illa ſuis non foret uſque dolor,

LAERTII

De Platone. 3. 33. 5.

PHoebus te, Aſclepi, (*c*) genuit, genuitque Platonem; (*d*)
Aegrum ut tu corpus, curet at ille animum.

(*a*) Alii hoc carmen Adriano caeſari tribuunt.
(*b*) De Ilio novo vide Strabonem Geograph. l. 13.
(*c*) Aeſculapius a Graecis Aſclepius dicitur, ac fertur fuiſſe filius Apollinis ex Coronide, ac praeeſſe corporum curationi.
(*d*) De Platone ab Apolline genito fuiſſe fabellam quandam

Myrmidonas periisse omnes dic Hector Achilli;
Thessaliam et magnos isse sub Aeneadas.

(b) Ipsa est Theodote: at picturae errore dolentes
O utinam pictor redderet immemores.

LEONIDAE

De Homero. I. 67. I.

SOlis ut exortu primo non aurea caeli
Sidera, non uſquam candida luna micat.
Sic, ubi Maeonides primum eſt exortus, ademit,
Quotquot erant, aliis vatibus omne jubar,

Priapus ad nautas. I. 56. 4.

HOra mari facilem dat curſum: venit hirundo,
Et Zephyri arboreas jam ciet aura comas.
Prata virent florentque iterum, ventoque tumentes
Aequor, compoſito murmure, ſternit aquas.
Solve ratem, laxoſque trahens lege, nauta, rudentes;
Totaque felici carbaſa pande noto.
Fide deo: haec jubeo, portus tutela, Priapus;
Auſpice me, tutum per mare lucra pete.

In vaccam Myronis. 4. 7.7.

ME non aere Myron fudit; ſed, nactus in agro
Paſcentem, abducens huic lapidi impoſuit.

LUCILLII

De Magno medico. I. 39. 7.

AD Styga quum vidit Magnum (a) Dis, territus inquit;
Venit ut & turbam ſuſcitet exanimem.

MA.

dam tradit Laertius in ejus vita. porro autem hic dicitur genitus ut animum curaret. *Eſt enim profecto*, ut ait Tullius 3. Tuſc. 6. *animi medicina philoſophia*.

(a) Cujus meminere Galenus, Aetius, Serapion, a quo *rex medicorum* appellatur, apud Fabric. in Bibl. Graeca.

Digitized by Google

MARIANI

In ſuburbanum (a) cui nomen Amori. 4. 30. 4.

HUc ades, huic languens horto ſuccede viator,
Et feſſum in viridi gramine pone latus;
Heic ubi ſponte ſua, platanis cingentibus, alte
Proſilit, & dulci murmure lympha ſonat;
Verna ubi odoratos miſcent ſe germina florum
Per ſulcos, violae, purpureaeque roſae.
Cerne, ſolo ſerpens ut prata madentia rore
Paſſim hedera effuſis implicat uda comis.
Cerne hunc, qui viridem vitreus ripam ſecat amnis,
Nativi & nemoris mordet utrinque latus.
Et merito ſum dictus *Amor*. nam nulla venuſtas,
Nullus non Charitum me lepor exhilarat.

NICERATI

Ad Bacchum de Cratino. 1. 59. 7.

VInum eſt fortis equus dicturo grata poetae.
Gratum nil potis eſt dicere potor aquae. (b)

 Haec

(a) In Graeco titulo, qui praefigitur huic epigrammati, hoc ſuburbanum Amaſiae dicitur. Amaſia fuit metropolis Ponti, quam Strabo, in ea natus, deſcribit l. 12.

(b) Eandem hanc Cratini ſententiam affert Horat. ep. 19. l. 1. *Priſco ſi credis, Maecenas docte, Cratino, nulla placere diu, nec vivere carmina poſſunt, quae ſcribuntur aquae potoribus.* Quo loco irridet ſui temporis homines, qui, Cratinum, & alios quoſdam praeſtantes poetas prave imitando, non ceſſabant *nocturno certare mero, putere diurno.* quaſi vero magnis viris ſimiles evaderent, qui non eorum virtutes, qui-

Haec tuus edixitque Cratinus , Bacche ; nec utrem
Unum oluit , verum dolia cuncta ſimul ;
Fervebatque vigens animis , rubicunda virenti
More tuo geſtans tempora vincta hedera .

PARMENIONIS

De Xerſe (a) *& Spartiatis* . 1. 5. 7.

PEr mare qui pedibus , montes qui claſſe per altos
Inceſſit , terraeque arbiter & pelagi ;
Tercentum huic haſtis pubes delecta Laconum
Obſtitit . o terrae dedecus & pelagi !

PHI-

quibus magni ſunt , ſed ea , quibus ſi carerent majores eſſent , vitia imitantur . Equidem ſic exiſtimo , ſi qui fuere boni poetae , qui vino immodice uterentur , eos ipſos, quae bene ſcripſere , non ebrios , ſed ſobrios ſcripſiſſe . ex vinolentia inanem loquacitatem exſiſtere poſſe, ſapiens poema non poſſe : ut recte veteres feciſſe arbitrer , quod in Parnaſſo illo bicipite , ubi muſas habitare , ac poetas fieri dixerunt , multos aquae fontes , nullum vini dolium collocavere .

(a) Xerſes maximis claſſibus , maximiſque equeſtribus & pedeſtribus copiis , Helleſponto juncto, Athone perfoſſo, *maria ambulaſſe* , *terram navigaſſe* dicitur ab Iſocrate in Panegyr. atque a Tullio 2. de Finib. Hae tantae copiae quum Graeciae , atque adeo univerſae Europae ingruerent, *miſſi ſunt* , inquit Nepos in Themiſtocle , *delecti cum Leonida Lacedaemoniorum rege* , *qui Thermopylas occuparent* , *longiuſque barbaros progredi non paterentur* . *Hi vim hoſtium non ſuſtinuerunt* , *eoque loco omnes interierunt* . Non definit quo numero fuerint . Herodotus in Polyhym ; Tullius 2. De finibus & alii paſſim , CCC ; Iſocrates in Panegyr, atque in Archidamo CIↃ fuiſſe dicit.

PHILIPPI

De Leonida & Xerſe. 1. 5. 19.

IPſe ſuo cecidit poſtquam enſe (*a*) Leonida, regi
Purpuream Xerſes impoſuit chlamydem.
Ille vel exſtinctus: patriam qui prodidit, iſtaec
Transfugii, exclamat, praemia digna ferat.
Hoc ſatis ornari eſt clypeo mihi: Perſica tolle:
Ibo etiam ad manes ut Lacedaemonius.

De lauro ſponte enata ex ara
Caeſaris. 1. 20. 9.

DAphne Phoebum olim ſprevit, (*b*) nunc Caeſaris ara
E media, ſacram nigra comam, exoritur. (*c*)

(*a*) Philippus heic non Herodotum, ſed alium quempiam auctorem ſequutus eſt. Nam Herodotus, Leonidam non ipſum ſibi manus attuliſſe, ſed pugnando in acie ceciſſe affirmat in Polyhymnia. Nec vero, injecta purpurea chlamyde, hominis cadaver a rege honeſtatum fuiſſe tradit; ſed, amputato capite, in crucem ſublatum; idque factum ob immanem iram, qua in eum vivum excanduerat. Fatetur tamen Perſas, prae omnibus quos ipſe norit hominibus, ſolere viros in re militari praeſtantes honore afficere.

(*b*) Ut Daphne Penei filia Apollinem ſpreverit, eumque fugiens mutata ſit in laurum, narrat Ovid. Met. 1.

(*c*) Hoc lauri oſtentum ſimillimum eſt, & idem fortaſſe atque illud, quod (ut eſt apud Quintil. Inſtit. or. l. 6. c. 4.) Tarraconenſes apud ſe factum Auguſto nunciarunt. Quorum tamen ille adulationem repudiavit, ac dicentibus palmam ex ejus ara enatam eſſe: *apparet*, inquit, *quam ſaepe accendatis*: ipſorum videlicet, negligentiae tribuens, quod illi ejus numini, aut deorum in eum indulgentiae tribuebant.

Quippe deum mutare deo meliore, Joviſque
Pro gnato, Aeneaden gaudet amare Jovem:
Nec tellure exit, ſed marmore. frugifer eſſe
Caeſare ſub magno vel lapis edidicit.

In elephantos currum trahentes . 1. 69. 2.

NOn fert in media turrim, velut ante, phalange,
Nec furit immani dente ferox elephas:
Sed metuens dat colla jugo, vincliſque revinctus
Divini currum Caeſaris ecce trahit. (*a*)
Pacem etenim ſentit vel bellua; laetaque, ſpreto
Marte, vehit legum juſtitiaeque patrem.

Apes in roſtris Actiacis mellificantes 6. 25. 16.

AErea roſtra, vagis olim praefixa carinis,
Heic belli teſtes (*b*) figimur Actiaci. (*c*)

Intus

(*a*) De elephantis currum trahentibus, qui ſaepe in veterum monumentis occurrunt, agit Giſbertus Cuperus de Eleph. exercit. 2. ubi exibet nummum in quo Auguſtus Caeſar vehitur curru rotundo, ad quem bini elephanti juncti ſunt. Hos currus honoris cauſa poſitos fuiſſe apparet ex Plin. l. 34. c. 5. *Equeſtres ſtatuae Romanam celebrationem habent, orto ſine dubio a Graecis exemplo. ſed illi celetas tantum dicabant in ſacris victores; poſtea vero & qui bigis, vel quadrigis viciſſent. Unde & noſtris currus in his, qui triumphaſſent. Serum hoc, & in his non niſi a D. Auguſto ſejuges, ſicut & elephanti.*

(*b*) Roſtra navium hoſtilium navalis victoriae ſignum fuere. ea vel in templis, vel in privatis domibus figebantur. Virg. l. 7. Tull. Philipp. 2.

(*c*) De pugna Actiaca agunt Virg. l. 8. Propert. l. 4. e 6. Strabo l. 7. Plutarch. in Antonio &c.

Intus apum fervent examina denſa ; repertis
Dulces in latebris quae poſuere favos .
Caeſaris haec virtus ; hoſtilia qui bonus arma
Pacis ferre bonae munera perdocuit .

Naufragus a patrio cadavere ſervatus . I. 55. 6.

FRacta ratis ponto eſt demerſaque , ſed meliorem
Obtulit erranti mi Deus ipſe ratem .
Nam prope me patrium vidi fluitare cadaver ,
Arreptoque , ſuper , dulce onus , inſilui .
Ille ſuum ad terram vexit ; genuitque ſecundo ,
Quem prius in terris , hunc iterum in pelago .

De Glaphyra tibicine I. 11. 1.

MUltiforam arguto Glaphyras modulamine lotum
Inflabat . mirans Phoebus Apollo : tuum
Marſya (*a*) , ait , mendax inventum . ſcilicet unus
Palladiam hic lotum (*b*) ſuſtulit e Phrygia.
Quam ſi tute olim inflaſſes , non fleſſet Hyagnis
Maeandri ad ripam , te pereunte , pater .

De

(*a*) Minerva tibiam prima confeciſſe dicitur, eandemque, quum ſe tumentibus buccis deformem fieri vidiſſet, ad ripam Maeandri abjeciſſe ; Marſyas inventam ſuſtuliſſe, ejuſque cantu ſibi adeo placuiſſe , ut cum Apolline certare non dubitarit . quae res illi mortem, ejus patri luctum & lacrimas attulit . Vide Apollodorum lib.1. & Apul. l.1. Florid. inter quos de patre Marſyae non convenit, eum enim Apollodorus Olympi , Apulejus Hyagnidis filium fuiſſe dicit.

(*b*) Loti nomine tibiam intellige ex loto factam . de qua loto Plin. l.13. c.17. *Africa* , inquit , *qua vergit ad nos , inſignem arborem loton gignit . . ligno color niger . ad tibiarum cantus expetitur* .

De Homero 1. 67. 6.

ANte polum linquent ardentia ſidera, & ante
Sol cerni obſcuris noctibus incipiet;
Et mare velivolum fluctuque carebit amaro,
Effundetque ſinu frugifero ſegetes;
Et vita defuncta, ultro ſurgentque ſepulcris,
Atque urbes ibunt corpora per medias:
Maeonii clarum quam ſpernat nomen Homeri
Immemor oblito pectore poſteritas.

PLATONIS

De Sapphone. 1. 67. 13.

ESſe novem perhibent qui muſas, falſa loquuntur;
Muſarum Sappho Lesbia nam decima eſt.

In Ariſtophanem. (*a*)

QUaerebant Charites templum, quod nulla vetuſtas
Solveret. inventum eſt pectus Ariſtophanis.

POSSIDIPPI

De Alexandro (*b*) *Lyſippi* 4. 8. 36.

MIre opifex Lyſippe, oculis ex acribus ignem
Aerea Pellaei (*c*) vibrat imago ducis.

Igno-

(*a*) Graecum epigramma in Anthologia non reperio: exſtat tamen ante comoedias Ariſtophanis editas a Ludolpho Kuſtero.

(*b*) Fuerit ne hoc ſimulacrum illud inauratum a Nerone, de quo Plin. l.34. c.8. ſtatuere non audeo.

(*c*) Pella urbs Macedoniae fuit patria Alexandri Magni. quem idcirco Juvenalis Pellaeum juvenem vocat ſatyra 10.

(b) Arte animosa audax Lysippe, hoc vividus aere
Torquet Alexander fulmineum ignem oculis.
Jam non culpare est Persas. Armenta leone
Viso ignoscendam corripuere fugam.

Digitized by Google

Ignoſco Perſis. (a) Quis viſo armenta leone
Miretur celeri vertere terga fugae?

SATYRI

Ad viatorem. 1. 65. 5.

Heic lauri virides, heic fons pellucidus, umbras
Heic inter nemorum lene ſtrepens Zephyrus.
Siſte gradum, paullumque, hoſpes, requieſce; laboris,
Et ſitis, atquè aeſtus dulce levamen habes.

PAULLI SILENTIARII

In hortos mari proximos. 4. 15. 2.

Quarum ſit locus hic, magno certamine certant
Nymphae Naiades, Nereides, Dryades.
Lecta Charis judex haeret ſuſpenſa, quod aeque
Heic maria, heic fontes, heic nemora eſſe videt.

SIMONIDIS

In Baccham Scopae. 4. 3. 4.

Quaenam iſta? *Baccha*. Quis polivit ſic? *Scopas*
Quis incitavit? Bacchus an Scopas? *Scopas*. (b)

De ponte a Xenocle conſtructo 4. 29. 1.

Ite ſacri Cereris (c) celſa ad delubra miniſtri,
Ite, nec hibernae terreat imber aquae.

Tam

(a) Qui ab Alexandro ad Granicum fuſi, atque in fugam verſi ſunt.

(b) Calliſtrat. in Deſcript. *Scopas, velut inſpiratione quadam concitatus, in ſtatuae opificium dei afflatum tranſtulit*.

(c) Eleuſinae, ut opinor, cujus templum non longe aberat a flumine Cephiſo. Huic flumini Xenocles pontem impoſuit, id eſt, ponti conſtruendo vel artificium, vel pecuniam ſuppeditavit.

Tam ſolidum lato pontem ſuper amne Xenocles
Hunc vobis, civis Lindius, impoſuit.

In ſtatuam Theocriti olympionicae. 1. 1. 7.

CErne Theocritum, qui vicit Olympia (a), luctae
Solertis varia mirus in arte puer,
Formoſuſque acerque idem; patriamque (b) relatae
Et claros decorat frondis honore patres.

ZOSIMI THASII

Clypeus domino ſalutaris. 1. 55. 1.

NOn inter pugnas tantum, belliqué tumultus
Saepe bonum texi a vulnere Anaximenen;
Idem ego ſed clypeus, ratis eſt quum fracta, natantem,
Ceu tabula, e tumidis fluctibus eripui.
Sum forti ſpes una viro terraque marique,
Una ſalus, mortem & praeſidium ad geminam.

* * * *
* * *
* *
*

ANTHO-

(a) Tum ad Olympiam tum alibi, praeter certamina virorum, ſua etiam pueris certamina eorundem generum conſtituta erant. Plutarch. Sympos. l. 2. q. 5.

(b) *Coronae*, ait Plin. l. 16. c. 4. *in ſacris certaminibus uſurpatae, in quibus hodieque, non victori datur, ſed patriam coronari ab ipſo pronunciatur* Idem l. 7. c. 26. *neque enim ipſi coronantur ſed patrias ſuas coronant*,

ANTHOLOGICORUM
CAPUT SECUNDUM.
EPIGRAMMATA SATYRICA.

INCERTORUM.

In vetulam nuptias cogitantem. 2. 9. 12.

F Lorebat Nice, ſed tempore, quo bonus ille
Mergi vidit aquis omnia Deucalion.
Quae fuerit proavi norunt; nos cernimus aptam
Quaerere non ſponſum, quod facit, at tumulum.

In deformem. 2. 13. 20.

JUravi, nunquam ſcripturum epigrammata, multae
Unde mihi exſtiterunt ſaepe inimicitiae:
Sed nulla morbum ratione tenere potis ſum,
Pantagathi ut video Paphlagonis faciem.

De coena ab avaro homine praebita 2. 50. 23.

ARgento in ſolido, multo & fulgore coruſco,
Nil mihi ni ſolam Cinna famem appoſuit.
Dicebam pulcris iratus lancibus: o ſi
Teſta ferat, poſſim quo ſatur eſſe, cibum!

IN.

De medi o & veſpillone . 2. 22. 14.

FRaternum egregii foedus pepigere ſodales,
Veſpillo Damon, & Crateas medicus.
Corporibus vittas nam detrahit ille ſepultis,
Aptaque vulneribus vincula dat Crateae;
Damoni at Crateas tumulandos mittit abunde,
Quorum cunque manu vulnera contigerit.

In hominem puſillum militiam metuentem . 2. 32. 23.

SI contra bruchos, mureſve armanda juventus,
Aut ranas contra quaeritur, aut pulices;
Gaure; time invitum ne quis compellat in arma,
Tali certe aptum te quoque militiae.
At ſi bella viros contra ſunt, parce timori.
Nulla grues (*a*) contra praelia Roma parat.

In imaginem foedi hominis . 2. 39. 1.

TAm bene qui Craſſum pinxit, pereat male pictor.
Olim unum, laedunt nunc duo monſtra oculos.

In imaginem Sexti rhetoris . 2. 46. 4.

HAec Sexti vivit, ſentit, meditatur imago:
Haec rhetor; Sextus rhetoris eſt ſtatua.

In

(*a*) Nullam expeditionem Romani ſuſcepturi ſunt adverſus grues, more Pygmaeorum, quos cum his avibus bellare Homerus ſubobſcure indicavit, Il.lib.3. v.6. ac dedit, ut opinor, occaſionem iis, quae de Pygmaeorum gente narrari ait Plinius l.7. c.2. & Ariſtoteles De hiſt. animal. l.8. c.12. a quo miror ſcriptum eſſe; quae de gruum, & Pygmaeorum pugna dicantur, ea fabulam non eſſe: re vera enim puſillum hoc hominum genus ad paludes unde Nilus profluit inveniri, ac Troglodytas vocari.

Nunc post fata meos fodite artus namque
Leonis
Exanimum corpus vel violant lepores.

In divitem avarum 1. 50. 12.

DIves cenſu, animo pauper Calliſtratus, idem
Dives & haeredi, pauper & ipſe ſibi eſt.

In avarum 2. 50. 26.

MAgnam nummorum vim congerit Artemidorus;
Nilque utens, mulis vitam agit adſimilem;
Ingens argenti qui dorſo pondus & auri
Saepe ferunt, ſolas at comedunt paleas.

In prodigum 1. 12. 10.

COnde domos multas, multos & paſcito. ad ipſam es
Rectum nactus iter, Cinname, pauperiem.

Ad Grajos in Hectorem mortuum ſævientes 1. 5. 14.

HEctora Grajugenae caeſum foedate; (*a*) leoni
Exſtincto inſultant vel timidi lepores.

De aſtrologo & ruſtico 2. 6. 9.

CAlligenes nuper poſt conſita ruſticus arva
Limen ad aſtrologi venit Ariſtophanis;
Et ſibi, quaeſivit, meſſis num magna futura,
Num foetu dives ſpica terenda foret.
Heic magna in tabula rationes ducere longas,
Et digitos coepit flectere (*b*) Ariſtophanes.

Mox,

(*a*) Homerus Il. 22. narrat ad corpus Hectoris ab Achille interemti ingentem Achivorum concurſum factum eſſe, nec quenquam adſtantium fuiſſe, qui ei non plagam aliquam infligeret: neque vero defuiſſe, qui virum fortiſſimum, jacentem ac nihil ſentientem, derideret.

(*b*) Exſtat apud Bedam opuſculum de Indigitatione, ut ipſe appellat, ſive de ratione computandi per digitos. Ovid. 2. de

vel eodem metro.
Jam post fata meos fodite artus: corpus et ipsi
Exanimum lepores audent temerare leonis.

Mox : tempeſtivus , dixit , ſi decidet imber ;
Herbarumque arvo luxuries aberit ,
Nec glacies franget ſulcos , nec grandine ſaeva ;
Quum ſeſe attollet , concidet icta ſeges .
Nec depaſta haedi laedent ſata , nullaque caeli
Aut terrae clades frugibus obveniet ;
Annum vaticinor felicem atque horrea plena ,
Sola locuſtarum damna ſed ante time .

In ſimulacrum Anaſtaſii . 2. 50. 19.

HAec tibi , rex orbis vaſtator , ferrea imago ;
Ut multo aerata vilior , eſt poſita
Ob caedes , duramque famem , & genus omne malorum ,
Queis tua foede omnes perdit avarities . (*a*)

In improbum magiſtratus adeptum . 1. 80. 10.

FOrs invita (*b*) iſtuc te ſuſtulit , improbe , aduſque
Ipſum te dici dum cupit omnipotens .

AGA-

---

2. de Ponto el. 3. *At reditus jam quiſque ſuos amat , & ſibi quid ſit utile ſolicitis ſupputat articulis* . Plaut. Mil. glor. 2. *Dextera digitis rationem computat* .

(*a*) *Anaſtaſius* , inquit Suidas , *Romanorum Imperator , mutatus in deterius , univerſum imperium ariſtocratiam effecit , magiſtratibus omnibus vendendis , inexplebili pecuniae aviditate incenſus . . . Ad haec in bona defunctorum inquirebat , & communem omnibus paupertatem donabat . Quorum enim ipſe rem familiarem auferebat , iis paullo poſt pietatis nomine diſtribuebat : & quarum urbium incolas nudabat , carum aedificia renovabat* .

(*b*) Fortuna inquit non tua , ſed ſua ipſius cauſa te honeſtavit , ut , quae id potuerit , omnia poſſe exiſtimetur .

AGATHIAE

Saxum Ajanteum de hominibus, qui nunc ſunt. 1. 5. 4.

ME magni Ajacis lapidem (a) ne impelle, viator;
Telum olim Hectoreis non leve pectoribus.
Sum niger informiſque; at verax dicet Homerus,
Quanto provolvi turbine Priamiden.
Nunc me vix per humum paullum protrudere poſſunt
Umbrae hominum, & ſaecli debilis opprobria.
Sed me aliquis terram penitus, precor, abdat in altam
Ludibrium nihili diſpudet eſſe viris.

In inſolescentem rebus ſecundis. 1. 80. 15.

MAgnas nactus opes & magnos Charmis honores,
Jam veteres prorſum neſcit amicitias:
Nec meminit quinam fuerit, nec ludere ludum
Quem toties gaudet lubrica Fors, metuit.
Mendicus petiit quondam, nunc dives egenti
Vilia contemptae fruſta negat Cereris.
Charmi, levis Fors eſt: verti omnia forſitan ipſe
Mendicans iterum tu tibi teſtis eris.

In inſoleſcentem a fortuna deſtitutum. 1. 80. 14.

Ille tuus quonam faſtus? quo protinus illa
Fugit adulantum denſa cohors comitum?

Urbe

(a) Homerus Il. l. 14. v. 410. ait ab Ajace Thelamonio ſaxum ingens manu ſublatum, ac miſſum in Hectorem tanta vi, ut is, pectore perculſo, prope exanimatus in terram corruerit. Hoc ſaxo Agathias utitur ad eorum hominum, qui nunc ſunt, imbecillitatem declarandam; qui quidem vix commovere poſſint pondera, quae illi heroes tam facile jaculabantur.

Urbe cares tectoque miſer ; quem , ſaeve , premebas,
Arbitrium capitis nunc habet omne tui .
Laudo quod levis es, Fortuna , addictaque nulli .
Haec per te nobis gaudia contigerunt .

In Bytum rhetorem. 2. 46. 16.

MIrificus rhetor Bytus eſt : haec ſed duo ſanti
Deſunt ; communis ſenſus , & eloquium .

AMMIANI

In Aſiaticum rhetorem repentinum. 2. 46. 6.

RHetor tam ſubito eſt Aſiaticus ! id quoque credo.
Thebis nil fieri non pote prodigii. (*a*)

De rhetorum inſcitia. 2. 46.9.

PAulle , tuum fieri puerum vis rhetora ; quales
Noſtri omnes ? cave ſis litterulas doceas .

In imaginem Flacci rhetoris. 2. 46. 12.

RHetoris es Flacci ſpecies , an Flaccus ? imago
Muta ſiles . Flacco nil magis eſt ſimile .

De Flacci rhetoris ſoloeciſmis . 2. 46. 5.

QUinque ſoloeciſmos (*b*) miſi munuſcula Flacco :
Mille alios contra reddidit ille mihi;

Scri-

(*a*) Innumerabilia portenta Thebis facta perhibentur : ut ipſe Cadmus ab Ovidio Met. l. 4. victus *oſtentis quae plurima viderat* , ex urbe illa , quam condiderat profugiſſe dicatur .

(*b*) Laert. in Solone . *Solon in Ciliciam profectus, urbem condidit, atque ex ſuo nomine Solos appellavit , in qua Athenienſium aliquot ſtatuit, qui tractu temporis quum patriam vocem corrupiſſent ſoloeciſſare dicti ſunt .*

Digitized by Google

Scripſit & : hos numero mitto , miſſurus abunde
Menſura poſthac , Cyprum (a) ubi contigero.

Coena herbacea . 2. 50 17.

NOn ſecus ac ſi hortum mactaſſet (b) parcus Apelles,
Quot ſunt herbarum mi genera appoſuit.
Lactucam , aſparagos , raphanum , rutam , intuba , porros,
Mentaſtrum , bulbos , ocyma , foeniculum ,
Foenum etiam timui ne apponeret : ergo lupino
Paſtus proripui me celeri inde fuga.

Ad Tenum. 1. 58. 3.

NOn ego te claram inficior , magnum decus olim
Cui tulerunt volucres , Tene (c) Boreiadae (d).
Verum clara etiam Delos fuit ; (e) uſque remotos

D Illius

(a) Cyprum , ubi aliam urbem Solos eſſe tradit Plin. l. 5. c. 31. atque alii Geographi. in qua ſoloeciſmos nomen inveniſſe , quaſique in patrio ſolo naſci magna copia putavit fortaſſe Ammianus.

(b) Tenus eſt una earum inſularum , quae circa Delum in orbem ſitae Cyclades nominantur . De qua Strabo l. 10.

(c) Perinde ac ſi ad convivium celebrandum, ſacro facto alicui deo, non, ut fieri ſolebat, vitulam, aut aliam pecudem , ſed hortum mactaſſet ; non carne , ſed herbis omnium generum menſam exſtruxit.

(d) Zetus & Calais Boreae filii ex Orithya , quos in hac inſula interfectos ab Hercule ſcripſit Apollon. in Argonaut. l. 1. & Apollod . Bib. l. 3. Jam ſecundam ſyllabam in voce Boreiadae , qua ipſa voce Antipater utitur , non dubitavi longam facere , ut ille facit.

(e) Strabo Geogr. l. 10. *Antiquitus jam inde uſque ab be-*

Illius & venit ſama ad Hyperboreos.
Nunc tu laeta viges, contra jacet (*a*) illa: minorem
At fore quis Teno crederet Ortygiam?

ANTIPHILI

De Troja dolo capta. 1. 70. 8.

ANni furta vide decimi, tacitumque, phalange
Qui gravis Argolica moenia ſcandit, equum:
Palladis ingentem juſſu quem ſtruxit Epeus;
Sub cujus dorſo Graecia tota latet;
Clamabis: fruſtra Atridis periere virum tot
Millia, nil egit Mars ubi, cuncta dolus.

APOLLINARII

In Glyconem ex agaſone grammaticum. 2. 10. 6.

GRammatico quondam, miſer ut delapſus aſello eſt
Excidit una omnis grammatica e capite,
Ergo vulgi unus vixit ſibi, multa docebat
Quae prius, ignorans omnia, perpetuo.
Haec ille, ut perhibent: contra Glyco, neſcius olim
Communis linguae, non modo grammaticae,

Nunc

heroicis temporibus in magno fuit haec inſula honore . . . celebrem eam fecere circumpoſitae inſulae cyclades, honoris cauſa publice mittentes, qui ſacra frequentarent, tum victimas, & choros virginum: ac magnos ibi ſolemnes conventus agitantes.

(*d*) Strabo ibidem narrat Delum a Mithridate vaſtatam, atque addit: *exinde in hanc diem inops permanſit*.

(*e*) Plin. l. 4. 12. ait Delum vocari etiam *Cynthiam, Ortygiam, Aſteriam, Lagiam, Clamidiam, Cynethum*. Ortygiae quidem nomen ſaepius occurrit apud Virgilium, Propertium & alios poetas.

Nunc aſinos agitans Libycos , lapſuſque frequenter ,
Continuo eſt factus (res nova !) grammaticus .

AUTOMEDONTIS

De Arrio aedituo . 2. 4. 1.

Cultor Apollinis & Apollo .

C. QUas porto tibi,Phoebe,dapes bonus accipe. A.Si quis
Me ſinat . C. An metuis tu quoque Latoida ? (a)
A. Non alios metuo : tantum Arrius ille timori eſt ,
Cui magis eſt milvo dextra vorante rapax ,
Frigidulae cuſtos arae , nam pompa peracta
Quum fuit , hinc rapiens omnia prorſus , abit.
Quod ni alerer Jovis ambroſia , jam , credite , veſtrum
Eſſem unus longa perditus eſurie .

De cœna perquam parca . 2. 50. 14.

MOeſtus heri hircinumque pedem , prorſuſque vietae
Coenavi crambes luteolum aſparagum :
Dicere ſed nolo , quis me , Callippe , vocarit .
Nam metuo , iratus ne me iterum ille vocet.

CALLIMACHI

De privigno & noverca . 1. 50. 1.

FOrte puer cippo dum florea ſerta novercae.
Dat , ratus exſtinctam moribus eſſe aliis ;
Corruit in pueri cippus caput . Ipſa novercae
Buſta , o privigni , ſi ſapitis , fugite.

(a) Latoida, ſecunda brevi, verſo videlicet o magno in o parvum, cujus rei paſſim occurrunt exempla apud Graecos poetas, cum in hac, tum in aliis vocibus.

DEMODOCI

In Cappadocem. 2.43.9.

CAppadocem pupugit mala vipera ; nec mora , tacta
Viroſi periit ſanguine Cappadocis.

JULIANI AEGYPTII

Tumulus uxori moleſtae. 3. 12. 33.

HUnc tumulum pulcro tibi ſtruxit marmore, Phylli,
Solvit & omne pii funeris officium
Vir tuus ex merito ; celeri quod morte , ſolutum
Liquiſti duro commoda ſervitio.

LEONIDAE

In aſtrologos. 1. 46. 2.

AT male ſit vobis quotquot , ventura profeſſi
Scire , vias orbis quaeritis aſtriferi ;
Quos peperit fatuis vecors audacia ; veſtrum
Qui nec adhuc ſcitis dedecus atque odium .

LUCIANI

De Therone prodigo. 1. 10. 1.

REm patriam Theron juvenis confecerat omnem ,
Nequitia & luxu perditus omnigeno.
Quem, ſimul ac nuda patrius conſpexit amicus
Euctemon angi pauperie miſerum ,
Flenſque domum recipit , dotem & largitus opimam ,
Gnatam illi primis collocat ominibus.
Nactus opes iterum, quas non ſperaverat , idem
Qui fuerat, Theron incipit eſſe iterum :
Atque avido large indulget convivia ventri ,
Fraenaque dat foedis laxa libidinibus .

Ergo

Ergo iterum rediens Theronem turpis egeſtas
Obruit, inque alta merſit amaritie.
Tunc etiam Euctemon flevit; non ſcilicet illum,
Sed gnatae dotem conjugiumque ſuae;
Senſit & infelix, aliena haud poſſe tueri,
Prodigus & nequam qui ſua perdiderit.

In inſolescentem rebus ſecundis. 1. 80. 22.

MUlta, putes fieri quae nunquam poſſe, facit Fors
Attollit parvos, dejicit eximios.
Illa, licet plenis auri tibi flumina rivis
Larga fluant, faſtus comprimet, illa tuos.
Non juncum aut malvas immani turbine ventus,
Sed quercum aut platanum proruit aeriam.

De Stratophonte pugile. 2. 1. 1.

CLarus Olympiaco pugil in certamine, frontem,
Mentum, aures, naſum quondam habuit Stratophon.
Quae male contuſo perierunt cuncta: paterna
E re nil prorſus quiret ut accipere.
Frater enim Stratophonta domo pictum attulit in jus.
Quo viſo, judex hunc ait eſſe alium.

Ad Stratophontem pugilem. 2. 1. 2.

QUatuor erraſſet luſtris quum durus Ulyſſes,
Agnitus eſt rediens in ſua tecta cani. (a)

 Te,

(a) Narrat Homerus Odyſſ. l. 17. Ulyſſem, quum vigeſimo anno, poſtquam abierat, domum revertiſſet, a cane, qui pro aedium foribus ſenio confectus jacebat, agnitum fuiſſe. Stratophontem canis ipſe propemodum, cives quidem certe agnoſcere non poterant.

Te, Stratophon, poſtquam pugnaſti quatuor horis,
Non canis; at cives noſſe tui nequeunt.
Quin tute, in ſpeculo ſi te nunc videris ipſum,
Juratus dicas: non ego ſum Stratophon.

Androleus pugil. 2. 1. 14.

QUotquot ſunt pugilum paſſim certamina Grajis,
Omnia certavi jam pugil Androleus,
Unam Piſae aurem liqui, ciliumque Plateis
Unum; viderunt Pythia ſeminecem.
Scit ſibi Damoteles pater hoc eſſe uſque paratum,
Mortuus ut truncuſve efferar e ſtadiis.

In deformem formae ſtudioſum 2. 2. 1.

CUr fruſtra (*a*) corpus nigrum abluis, Inde? nitere
Non potis eſt ſolis lumine nox media.

Ad Mercurium de Nearcho garrulo 2. 43. 11.

DIc mihi, ſi fas eſt, Cyllenie, vera: Nearchus
Qualis regna adiit pallida Perſephones?
Mirum ſi tacitus; mirum ni teque (*b*) docebat.
Vae vae umbris in quas garrulus inciderit!

LU-

(*a*) Eſt apud Graecos proverbium, quo dicuntur Indum ſive Aethiopem lavare, qui operam perdunt; & ea conantur, quae fieri non poſſunt. eſt item apud Aeſopum fabella, ex qua id proverbium natum videtur, de domino qui emtum Aethiopem perpetuis atque irritis lotionibus in morbum conjecit. Huic comparat Lucianus neſcio quem foedum hominem, laborantem eo morbo, quo Barrum laboraſſe ait Horatius, ut formoſus haberi cuperet.

(*b*) Te quoque. Sic Propert. l. 3. e. 1. *Meque inter ſeros laudabit Roma nepotes*, id eſt *me quoque*, quod omnino poſtulat ejus loci ſententia.

LUCILLII

De Aſclepiade avaro . 1. 50. 22.

MUs Aſclepiadae tecta intra viſus avaro eſt.
Qui metuens damnum : quid tibi quaeris, ait?
Cui mus ſubridens : parce , o bone , parce timori :
Non victum quaero te penes , at latebram .

De Hermoclide aſtrologo 2. 6. 1.

PAtri ſaepe meo fratrem dixere futurum
Longaevum cuncti ſcilicet aſtrologi .
Aſt Hermoclides vitalem non fore dixit.
Sed dixit , flebat quum domus exanimum .

In Aſtrologos . 2. 6. 2.

QUid Mars, quidve ferat Saturnus quaerere ſuetos (*a*)
Aequum contundi fuſtibus eſſe reor .
Quos etiam fortaſſe brevi ſpectare licebit
Doctos quid taurus quidque leo valeat .

In Nicyllam anum calvam . 2. 9. 2.

TE Nicylla comas quidam ajunt tingere ; falſo .
Emiſti quam tu , nam coma , nigra fuit.

(*a*) Aſtrologos, qui ex vario Martis & Saturni adſpectu ſolent bella & calamitates hominibus praedicere . Propert. l. 4 e 1. *Feliceſque Jovis ſtellae , Martiſque rapacis , & grave Saturni ſidus in omne caput* . Item Ovid. in Ibin. *Te fera , nec quidquam placidum ſpondentia Martis ſidera pr..eſſerunt , falciferique ſenis* .

(*b*) Haec verba aeque ſignificant, tum ſcientes quam vim habeant in haec inferiora taurus & leo , ſigna caeleſtia , tum experientia doctos , quid tauri & leones poſſint in eos , qui beſtiis objiciuntur . Sane legimus Aſtrologos ſaepe urbe atque Italia pulſos ſub Tiberio , Veſpaſiano , Domitiano ; interdum etiam gravius in eos animadverſum.

In anum ſe fucantem . 2. 9 9.

Tinge comas, oris nec ceſſa explere lacunas,
Exſangues roſeo pinge colore genas;
Et faciem decies totam finge atque refinge;
Ex Hecuba, infelix, non facies (*a*) Helenam.

In Heliodorum grammaticum. 2. 10. 1.

Grammaticum modo ſi mens cogitet Heliodorum,
Lingua ſoloeciſmis haeſitat implicita.

In Cynicos. 2. 52. 2.

Qui rudis eſt pauperque idem, non hordea ſaxo
Frangit, non valido pondera fert humero,
Virtutem at veram villoſa veſte profeſſus, (*b*)
Barbam alit, ac fuſtem corripit e trivio.
Hermodoti (*c*) hoc dogma eſt: nummis quicumque carebit,
Palliolo arrepto haud amplius eſuriat. (*d*)

In

(*a*) Nunquam efficies, ut quae ſimilis es Hecubae illi Priami uxori, quam ſenectute confectam poetae deſcribunt, Helenae formoſiſſimae mulieri ſimilis evadas. De Hecuba, anu curva & tremula, vide Euripidem in tragoedia ejuſdem nomine inſcripta: de Helena, vigente ac florente, Homerum Iliad. l. 3.

(*b*) De cynicorum ſecta agit Lucianus, cum ſaepe alibi, tum praecipue in Fugitivis. Id genus philoſophiae nequiſſimum & impudentiſſimum non pauci profitebantur; *nec enim*, ut ait ille, *quidquam negotii eſt craſſo vilique panno ſe operire, vel peram collo ſuſpendere, vel lignum in manibus geſtare.*

(*c*) Alicujus, ut opinor cynici, noti quum haec Lucillius ſcriberet, nunc ignoti.

(*d*) Cynicis philoſophiam ait Lucianus non modo victum,

ſed

In Meneſtratum Cynicum . 2. 52. 1.

TE fateor cynicum eſſe , Meneſtrate , cum pede nudo
 Is lacero involvens corpora palliolo.
At Cereris cum fruſta rapis , pulmentaque , nec mi
 Fuſtis abeſt , dictum te memini eſſe canem . (*a*)

In militem meticuloſum . 2. 12. 2.

NAvalem miles carbone in pariete pictam ,
 Ut mos eſt , pugnam Furnius adſpiciens ,
Corruit , atque metu exanimis clamavit ; inermem
 Servate , atque uni parcite , Dardanidae . (*b*)
Quaeſivitque aliquo num vulnere ſaucius eſſet ,
 Et ſe vix tandem vivere adhuc didicit.

In militem meticuloſum . 2. 12. 1.

LAurum horret pavido crepitantem pectore miles
 Aulus , ſeque ſuam colligit in chlamyden .
Enſem horret proprium . quod ſi quis dixerit unquam ,
 Adventant , ſubito corruit exanimis .

Nul-

ſed etiam divitias afferre. *Poſtquam ad ſatietatem uſque corraſere , ac frumentati ſunt , infelicem illam abjicientes lacernam , agros nonnunquam & domos emunt , Cratetis perae , Antiſtenis lacernae , & Diogenis dolio vale dicentes* .

(*a*) Philoſophi cynici , id eſt canini , etiam *canes* dicebantur . ejus nominis memorem ſe , ait, cum illo ſic acturum , ut cum canibus agi ſolet , qui ſi quando in epulas irruunt , fuſte ac verberibus abiguntur . Vide Lucianum in Convivio , ſeu Lapithis , ubi narrat de Alcidamante cynico, qui invocatus in convivium irruit , atque ingentes ibi turbas excitavit .

(*b*) Quos ibi pictos viderat, Graecorum navibus ignem inferrentes . qua de re agit Homerus Iliad. l. 15. v. 592.

Nullum unquam viſit (*a*) Polemonem, vel Stratocliden;
Unum amat & ſocium vult ſibi Lyſimachum.

De Nice ſe in ſpeculo contemplante. 2. 13. 9.

FAlſa videt Nice in ſpeculo. ſi vera videret.
Ut ſemel inſpexit, nunquam iterum inſpiceret.

In deformem. 2. 13. 1.

INſignis roſtro ingenti fuge, Pyrame, fontem,
Et cave lucidulos ne videas latices:
Ut quondam ille ſui periit Narciſſus (*b*) amore,
Sic tu forte odio ne moriare tui.

In Hermogenem piloſum. 2. 26. 1.

TOnderi Hermogenes voluit caput. anxius haeſit
Tonſor; totus erat nam ſimilis capiti.

In poetam & in medicum. 2. 40. 4.

DEucalionei non tot mortalibus imbres,
Non curru abreptus flammifero Phaethon,
Exitium miſeris dirum tetulere; poeta
Quot Potamo, & medicus perdidit Hermogenes.
Quatuor hae clades omni ut numerentur ab aevo;
Deucalion, Phaethon, Hermogenes, Potamo.

De

(*a*) Tam, inquit, eſt meticuloſus, tamque horret omnia, quae habent aliquam cum armis affinitatem, ut etiam homines vitet, quorum nomen ductum eſt a re militari; Polemonem, quo *belli*, Stratoclidem, quo *exercitus* & ejus, quae apud exercitum paritur, *gloriae* admonetur; amet ſolum & ſibi perpetuum ſodalem eſſe velit Lyſimachum, in cujus nomine audit id, quod maxime cupit, *praelium dirimentem*.

(*b*) Narciſſi in fonte ſe contemplantis, ſtultiſſimoque ſui amore contabeſcentis fabulam habet Ovid. met. *l*. 3.

Mendax eſt ſpeculum tibi, nam ſi
vera videres,
Haud illud velles amplius inſpicere.

De Marci poetae nenia . 2 . 40. 7.

NE puerum plora; me plora, Marce, tuis qui
Verſibus enectus jam magis heu perii.
De me nunc elegos, de me lugubria ſcribe,
Quem tua jam leto nenia, Marce, dedit.
Quem tuus iſte puer plectit; plectatur ut ille,
Qui primus chartas protulit & calamos.

De Eutychide poeta mortuo . 2. 40. 5.

OCcidit Eutychides: manes vitate poetam;
Iſtuc it multis non ſine carminibus.
Namque decem citharas juſſit ſecum igne cremari (*a*)
Bis totidem plenos carminibus forulos.
Cuncta Charon ad vos quae jam vehit. Ibimus heu quo
Vita functi, orcum ſi tenet Eutychides?

De Simylo cantore abſono. 2. 24. 2.

TOta nocte canens vicinos perdidit omnes,
Tantum uno excepto, Simylus, Origene.
Nil etenim audivit. ſurdo natura rependit
Obſtructas vita largiter auriculas.

In citharoedum. 2. 24. 1.

NYcticorax ferale canit, tamen occidit ipſe,
Demophili audito carmine, nycticorax. (*b*)

In

(*a*) Lucianus in Nigrino. *Alii veſtes, alii aliud quidpiam earum rerum, quas olim in deliciis habuerant, eodem rogo ſecum cremari mandant.*

(*b*) Tam, inquit, eſt abſonus Demophili cantus, & aures tam graviter vulnerat, ut non modo hominibus, ſed ipſis etiam obſcenis avibus, quae ſuo cantu mortem vel afferre

In Meneclem (a) oratorem 2. 46. 1.

SUs mihi ſublatus furto eſt , bos , atque capella :
Haec ut agas pretium ſolvi ego jam , Menecle.
Nil mihi cum Perſis , nil cum Othryada fuit unquam ,
Nec mi opus eſt furem abducere Thermopylis .
Lis eſt Eutychiden contra mihi . quid faciunt heic ,
Quaeſo , vel Xerſes vel Lacedemonii ?
De me , reque mea dic tandem paucula ; ni vis
Clamem : aliud dicit ſus , aliud Menecles.

In ſaltatorem imperitum . 2. 38. 2.

OMnia ad hiſtoriam ſaltaſti . immotus agebas ,
Non ſecus ac ſi eſſes marmoreus , Nioben : (b)
At Capaneus (c) lapſo planxiſti corpore terram .
Una modo cunctis res male diſplicuit .

Quod

re , vel praenunciare putántur , vitam adimere poſſit. Nycticoracem ſunt qui putent eandem avem eſſe, ac noctuam: Geſnerus in lib.3. hiſt. animal. avem noctuae diſſimillimam eſſe contendit .

(a) Irridet oratorem tragoedias agentem in nugis, atque in actione furti , ea quae Othryades in agro Tyrrheate , adverſus Argivos , & Leonidas in Thermopylis adverſus Perſas geſſerat commemorantem; eumque monet ut habeat orationem quae conſentiat cum re qua de agitur , ſitque magis ad veritatem, quam ad oſtentationem accommodata. Simillimum huic eſt illud epigramma Martialis ad Poſtumum nihil dicentem de tribus capellis, de quibus ſolis dici oportebat .

(b) De Niobe verſa in lapidem Ovid. Met. l. 6.

(c) De Capaneo icto fulmine, atque a Thebarum muro, quo aſcenderat, ad terram concidente , Eurip. in Phoeniſſis a. 4.

Quod quum ſaltares Canacen (*a*), atque enſis adeſſet,
Exiſti vivus; non id ad hiſtoriam.

In Ariſtonem ſaltatorem 2. 38. 1.

QUanam te genitor de quercu excidit, Ariſton?
Queiſnam de duris cautibus exſecuit?
Nam quercu e veteri certe es vel marmore duro
Saltator, vivumque archetypon Niobes:
Latonam ut verear ne tu quoque laeſeris. iſtum
Nam, reor, haud ultro verſus es in lapidem. (*b*)

De Meniſco fure combuſto . 2. 25. 8.

HEſperidum e templo fur aurea mala Meniſcus
Suſtulerat tria, par Amphitryoniadae. (*c*)
Ergo dedit populo ſpectaclum vivus in igne,
Hoc quoque non impar Amphitryoniadae. (*d*)

De Antiocho fure . 2. 25. 9.

LYſimachi Antiochus ſemel ut fur pallia vidit,
Jam ſua non vidit pallia Lyſimachus.

De Pericle abactore . 2. 25. 5.

PAſce bubulce boves procul hinc; ne forte Pericles
Ipſum cum bobus te quoque fur abigat.

De

(*a*) De Canace gladio a patre Aeolo miſſo ſibi mortem inferente Ovid. in epiſt.

(*b*) Tam ſimilis es Niobae, ut verear, ne tu quoque re aut verbo Latonam laeſeris. non enim, ut opinor, tua ſponte, ſed divinitus in lapidem converſus es.

(*c*) Paſſim a poetis memorantur mala aurea ab Hercule ablata ex hortis Heſperidum. Rem narrat Apollod. l. 2. & Servius ad illud Virg. Aeneid. 4. *Heſperidum templi cuſtos*.

(*d*) De Hercule in Oeta monte cremato Ovid. met. 9.

De Aulo Mercurium furato. 2. 25. 3.

HErmam, pennipedem (*a*) Jovis miniſtrum;
Et regem Arcadiae, (*b*) bonum & juvencas
Furari; (*c*) poſitum, vigil paleſtrae
Cuſtos (*d*) ut foret huic, loco revulſum
Dum fur in tenebris ferebat Aulus,
Cachinnans male: ſaepe doctiores,
Inquit, diſcipuli ſuis magiſtris. (*e*)

In pigrum. 2. 37. 2.

QUod piger in ſomno eſt ſibi viſus currere Marcus,
Somnum odit, rurſus currere ne incipiat.

De medico & aſtrologo. 2. 22. 3.

HErmogeni medico dixit vates Diophantus
Ad mortem lunas vix ſupereſſe novem.

Ille;

(*a*) Ovid. Faſt. 5. *Pacis & armorum ſuperiſque, imiſque deorum, arbiter, alato qui pede carpis iter*.

(*b*) Deum Arcadiae praeſidem, ubi illum *candida Maia conceptum gelido Cyllenes vertice fudit*. Virg. Aen. 8.

(*c*) Multa Mercurii furta perhibentur, de quibus Apollo & Vulcanus apud Lucianum colloquuntur.. illud in primis memorabile, quod ex Apollinis armento quinquaginta boves abegit mira calliditate furtum occultans. Vide hymnum in Merc. qui Homero tribuitur.

(*d*) Horat. lib. 1. oda 10. *qui feros cultus hominum recentum voce formaſti catus, & decorae more palaeſtrae*. Qui palaeſtram inveniſſe putabatur, eum palaeſtritae praeſidem & cuſtodem gymnaſiorum ponebant.

(*e*) Notum eſt proverbium *multi diſcipuli meliores magiſtris*.

Ille ; novem lunis Saturnus (*a*) quid paret , ipſe
Noris : ego citius rem tibi conficio.
Sic ait ; atque ſenem tetigit modo ; mors Diophantum
Inſperata cito funere compoſuit.

Ad ſodalem ambiguae fidei . 2. 15. 1.

ODiſti me ? odium ne cela . diligis ? iſtud
Jam vere facito , Pamphile , & ex animo .
Triſte patens odium ; multo at mage triſtis aperto
Eſt odio mendax , Pamphile , amicitia.
Navita ſic ſcopulis quos cernit , valdius horret ,
Si qua latent , placido condita ſaxa mari .

De invido . 2. 51. 1.

IN cruce majori ſuffixum vidit Aceten
Quod ſocium Diophon , tabuit invidia .

MACEDONII

De coena Salamini . 2. 50. 16.

QUiſque ſemel coenat ; ſed quem paſcit Salaminus ,
Poſt coenam ad coenam cogitur ire iterum .

In Laodicen anum ſe fucantem . 2. 9. 8.

FUco tende genas conſumta carne fluentes ,
Laodice , riſum dans populo atque jocum .
At non labra etiam diduces . pharmaca dentes
Nulla queunt lapſos ſcilicet inſerere .

Quid-

(*a*) Servius in 1. Georg. Planetarum duos ait eſſe bonos; Jovem , & Venerem ; duos malos, Saturnum , & Martem; unum communem , & medium , Mercurium. Prop. l.4.e.1. *Et grave Saturni ſidus in omne caput* .

Quidquid erat formae periit jam; nulla venuſtas
Membrorum e terris perpetua exoritur.
Ut roſa vere novo, florebas. torrida venit
Poſtquam aeſtas, ſenio collabefacta jaces.

NICARCHI

In Alexin medicum. 2. 22. 11.

AEgros quinque ſimul veniens inviſit Alexis,
Quinque unxit; cunctis protinus una ſimul
Nox fuit, atque unus veſpillo, unumque ſepulcrum,
Atque, Orci ad ſedes quae tulit, una via.

In Zopyrum medicum. 2. 22. 13.

HOſpes, quae tumulos complerit turba requiris?
Dulcem queis vitam Zopyrus eripuit:
Damis, Ariſtoteles, Demetrius, Archeſilaus,
Soſtratus, adde aliis mille Paraetonium.
Quippe gerens virgam, ac talaria ficta, ſub Orcum
Ipſo aegros citius ducit Atlantiade.

De Cotyttaride anu. 2. 9. 5.

CAna comam, linguam verboſa Cotyttaris, aevo
Ter functum vincit Neſtora quae ſenio;
Saecula quae vidit, quam cervus, plura; (*a*) ſiniſtra (*b*)
Annos

(*a*) Auſonius in gripho, ſive aenigmate de numero ternario, haec ſcribit. *Ter nova Neſtoreos implevit purpura fuſos. Eſt toties trino cornix vivacior aevo. quam novies terni glomerantem ſaecula tractus vincunt aeripedes ter terno Neſtore cervi*. Quae obſcure dicta, ut aenigmatis ratio poſtulat, ſignificant; Neſtorem vixiſſe III ſaecula; cornicem

Annos orſa iterum quae numerare manu eſt ;
Vivit adhuc oculis, nymphae in morem, & pede firmo :
Ut paſſus ne aliquid Pluto ſit addubitem.

De aſtrologo & nauta. 2. 6. 5.

ANne Rhodum tuto tranſmittere poſſet, Olympum;
Sollicitus vatem navita conſuluit.
Cui vates : nimioque grava ne pondere puppim.
Velaque da meſſis tempore, non hiemis.
Id faciens tuto poteris tranſmittere ; ni te
Curſu praedones in medio capiant.

PALLADAE

De faſtu divitum. 1. 12. 7.

PRaeſtat fortunae pondus tolerare prementis,
Quam veſtrum, dites, ferre ſupercilium.

In mulieres. 1. 19. 1.

IRa Jovis mulier : demto pater igne, rependit
Hoc miſeris munus flebile terrigenis. (a)

E Quippe

nicem vivere ſaecula IX ; cervum vivendo explere ſaecula XXXVI. Itaque poeta quum dicit, hanc anum pluſquam Neſtorem & cervos vixiſſe, hoc dicit, eam non modo ultra CCC, verum etiam ultra CIƆCIƆCIƆIƆC annos vivendo proceſſiſſe.

(b) Addit Cotyttarin annos manu ſiniſtra iterum coepiſſe numerare, id eſt ad CCIƆƆ annos perveniſſe. Vide Bedam in opuſculo de Indigitatione, in quo tradit rationem per digitos computandi, ac docet initium numerandi fieri a manu laeva, tranſiri ad dexteram quum ad centum, rediri ad ſiniſtram quum ad decem millia ventum eſt.

(a) Apud Heſiodum (Op. & dier. verſu 50.) habes fabel-

Quippe virum curiſque urit, caecaque pereſo
  Tabe, grave ante diem fert ſenium & maciem.
Ipſum Juno deum regem regina fatigat. (*a*)
  Ergo illam exegit ſedibus e ſuperis,
Suſpenditque inter nubes male concitus ira.
  Teſtor divini carmina Maeonidae.
Scilicet haud ulli contingit foemina concors,
  Quamvis aurato dormiat in thalamo.

In Patricium (*b*) *caſu victorem.* 1.43.5.

TRiſtis heri cuidam viſa eſt Victoria in urbe:
  Qui miratus, ait: quid, dea, paſſa mali es?
Cui dea: quid? ſolus neſcis quod contigit eheu
  Mi miſerae? immerito ſum data Patricio.

Mirum

---

bellam ingenioſiſſimam & venuſtiſſimam de Pandora, prima illa muliere, quae Jovis, irati hominibus ob ignem a Prometheo ſurreptum, juſſu condita eſt a Vulcano; & cui Venus formam, Minerva ſolertiam, Mercurius impudentiam, & aſtutiam indidit; atque illam, bonis hiſce maliſque rebus inſtructam, multiſque mortalibus exitio futuram, ad homines deduxit.

(*a*) De Junone Jovi moleſta, litigioſa, jurgioſa, ac de ratione, qua in eam Jupiter animadvertit, vide Homeri Iliadem prope finem lib. 1. & paullo poſt initium lib. XV. Ubi poeta Jovem Junoni haec dicentem inducit. *Ecquid recordaris quum ſuſpenſa es ab alto? a pedibus incudes demiſi duas; manus conſtrinxi vinculo aureo, quod frangi non poſſet.*

(*b*) Illum fortaſſe, qui A.C. 390. Conſtantinopoli quaeſtor fuit, cujus fit mentio inter juriſconſultos, qui floruere ante Juſtinianum, & a Juſtiniano laudantur, apud Fab. Bib. Graec. t. 12. p. 341.

Mirum ni fleret Victoria, quam ſine laude
  Arripuit, ventum ut navita, Patricius.

In hominem nimis apertum 2. 3. 4.

MOrbos quiſque ſuos habet intra, ignavus hic, ille
  Audax; hunc amor, hunc concitat invidia.
Sed quicunque ſapit morbum tegit, & cavet extra
  Ne prodant ſeſe quae vitiant animum.
At tua mens totis foribus patet, Ornite; luctus,
  Gaudia, ſpeſque, metuſque, omnia conſpicimus.

In Cynicum 2. 52. 11.

BArbigeri illa ingens cynici ſapientia, nuper,
  Quanta foret, menſa vidimus appoſita.
Quippe etenim a raphano abſtinuit, triſtique lupino;
  Virtutem, dicens, morigeram eſſe gulae
Non decet. at bulbum ſimulac adſpexit edulem;
  Haud ultra texit vim ſophiae eximiam;
Porrexitque manum cupide, arreptumque voravit;
  Bulbum & virtuti nil ait officere. (a)

In philoſophos barba tenus. 2. 52. 8.

SI poſita in longa tota eſt ſapientia barba,
  Cur non ipſe hircus jam queat eſſe Plato?

In ſemidoctum. 2. 42. 1.

CUr tanto incedis faſtu ſubnixus? in omni
  Doctrina tantum cur tibi, ſtulte, places?

(a) Atqui a bulbi eſu, ei, qui pravas cupiditates domitas habere velit, in primis abſtinendum, docet Ovid. de remed. l.2. *Daunius, an Libycis bulbus tibi miſſus ab oris, an venias Megaris; noxius omnis erit*.

Inter grammaticos, naturae arcana; ſophorum
In coetu, nugas promere grammaticas
Cautus amas; mutaſque vices, ac transfugis huc &
Huc; tibi nec ſophia eſt, nec tibi grammatica
Nota, licet clames: novi omnia. ſcilicet omnis
Libari, diſci res tibi nulla ſolet,

In Memphin ſaltatorem durum. 2.38.3.

DAphnenque & Nioben ſaltas bene, Memphi. videris
Ligneus, ut Daphne; ſaxeus, ut Niobe.

POLLIANI

In poetam male furentem. 2. 40. 1.

ESt etiam in Muſis, vates quae incendit, Erinnys.
Hinc furis, hinc temere fanda, nefanda canis.
Perge: deos poſſum gravius nil poſcere, quam te
Ut magis atque magis concitet iſte furor.

In Lycorin. 2, 13. 13,

EMpta coma eſt, dentes, mel, fucus, cera. Lycori,
Dic: non tota queat larva minoris emi?

THEODORI

In Hermocratem naſutum. 2.13. 5.

HErmocrates naſi: nam, parvis grandia ſtulte
Attribuens, naſum dixeris Hermocratis.

* * * *
* * *
* *
*

AN-

ANTHOLOGICORUM

CAPUT TERTIUM.

EPIGRAMMATA MORALIA.

INCERTORUM.

Vita digna fletu & riſu. 1. 13. 2.

NUnc vitam fleto multo magis , Heraclite ;
Nam vita eſt fletu nunc mage digna tuo.
Nunc vitam ride magis , o Democrite , multo ;
Nam vita eſt riſu nunc mage digna tuo.
Ipſe ambos imitari aveo ; tacituſque voluto ,
Qui poſſim riſum jungere cum lacrimis . (a)

De vita humana. 1. 13. 13.

QUirem utinam ſine morte , gravis te linquere vita !
Quam perferre piget , quam piget abjicere.

(a) De Democrito omnia ridente , deque Heraclito omnia flente agit Lucianus in vitarum auctione , ac utriuſque vanitatem more ſuo irridet . Equidem perpetuam rerum humanarum & deriſionem , & deplorationem aeque ſtultam eſſe arbitror . multa eorum , quae in vita geruntur, riſu non fletu , multa fletu non riſu , pleraque neutro digna ſunt.

Digitized by Google

Dulce oculis ſpecies haec naturae ; mare , tellus ,
Aſtra , orbis lunae , ſolis & auricomi :
Triſte animo terror , moerores , & , bene quidquam
Si cecidit regerens flendum aliquid Nemeſis . (*a*)

Inſcriptum tabulae luſoriae . 4. 32. 5.

CUncta vide ut vario jactu heic Fortuna gubernat ,
Et fugit , & rurſus lubrica diva redit .
Nimirum haec vitae pulcra eſt mortalis imago .
Vincimur ; alterna vincimus atque vice .
Laudatur , ludoque & vita ſi quis in omni
Triſtitiaeque tenet , laetitiaeque modum .

De morte ſibi praedicta . 3. 10. 6.

TErdenos tribuunt vitae mihi ſcilicet annos ,
Hiſque addunt ſenos praeterea aſtrologi .
Id ſatis eſt : juvat aetatis decerpere florem .
Mors tulit & Pylium poſt tria ſaecla ſenem (*b*).

Senes moroſi & inſuaves . 1. 16. 4.

VAſis ut in fundo , vertit quem potor , aceſcit
Quae reliqua eſt dulcis parvula pars Bromii ,
Sic

(*a*) Inter praecipua vitae mala numerat, quod nihil boni impune , ut ita dicam, aſſequi licet. adeſt enim, inquit , Nemeſis , illa , ut Catullus vocat , vehemens dea , quae continuo mali aliquid contra reponat , ad inſolentem videlicet animi laetitiam coercendam .

(*b*) Neſtorem Pyli natum tres hominum aetates vixiſſe tradit Homerus Il. 1. 250. eundem Ovid. Met. l. 12. inducit ſic gloriantem : *vixi annos biſcentum, nunc tertia vivitur aetas* .

Sic aevo exhauſtus quum longo eſt, venit & imum
Ad vltae, ſuavis deſinit eſſe ſenex.

Roſa brevis. 1. 90.

MAne roſam vidi; nondum acta luce, revertens
Quaeſivi: non flos, at rubus aſper erat. (*a*)

Nihil referre quo loco moriamur. 1. 37. 18.

PRonum iter eſt Orci ad portum, ſeu civis Athenis,
Exſul ſeu nigra ſolveris a Meroe. (*b*)
Quid morte in media patriae memor angeris? unus
Atque idem ad manes undique ventus agit.

Divitiae ſerae. 1. 66. 1.

PAuper eram juvenis, dives qui urgente ſenecta
Sum factus, miſere ſorte in utraque miſer,
Nil habui quum mi uſus erat; quum deſiit eſſe
Uſus opum, infelix omnia nunc habeo.

Calamitoſus moriens. 1. 80. 1.

O Spes, o Fortuna, valete: ſubit mea portum
Cymba: meam poſt me ludite progeniem.

De amicitia. 1. 85. 2.

THeſaurum reperit beatus ille,
Bonum qui reperit, Sabine, amicum;

E 4 Artem

(*a*) Ovid. A. 2. *forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos, fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo. nec ſemper violae, nec ſemper lilia florent, & riget amiſſa ſpina relicta roſa*.

(*b*) Plin. l. 2. c. 73. *Meroe inſula caputque gentis Aethiopum quinque millibus ſtadiorum longe a Syene in amne Nilo habitatur*.

Artem ſi modo ſcit laborioſam
Et perdifficilem, ſemel repertum
Qua ſemper teneat, Sabine, amicum.

De amicitia. 1. 85. 6.

PErfacile eſt quiddam, nomen ſi quaeris; amicus;
At ſi rem placeat quaerere, difficile.

Sobrius inter ebrios. 2. 3. 2.

VInoſos inter ſapit unus Cinna ſodales,
Unus & idcirco creditur haud ſapere. (*a*)

Achillis clypeus Aiaci redditus. 1. 22. 1.

PElidae clypeum, Hectoreo madida arma cruore,
Injuſtis Ithacus quem tulit a Danais,
Puppe viro fracta (*b*), rapuit mare juſtius; atque
Aiacis tumulo, non Ithacae applicuit.

Ovis lupum lactans. 1. 30. 3.

COgor ovis lactare lupum, quem ſcilicet amens
Paſtor ſaepe meis admovet uberibus.

Altus

(a) Fit hoc plerumque, ut boni viri flagitioſis hominibus deſipere videantur: verum omnes qui ſapiunt malunt ſtulti videri, quam eſſe.

(*b*) Bis naufragium Uliſſes feciſſe legitur apud Homerum, ſemel ante quam in Ogygiam perveniret, iterum poſtquam ex ea diſceſſit. In primo illo naufragio, quod deſcribitur Odyſſ. 12. ſcutum Achillis a mari abſorptum, atque, ut ingenioſe poeta comminiſcitur, non ad Ithacam Ulyſſis patriam, ſed ad Ajacis ſepulcrum, quod erat in promontorio Rhoeteo, delatum eſt, & ejectum a fluctibus; non caſu, ſed providentia Dei, ſuum cuique tribuentis, & prava hominum judicia corrigentis.

Altus lacte meo me contra ſaeviet : ulla
Naturam nequeunt vincere promerita .

Olea vitem ſuſtinens . 1. 20. 8.

ARbor ego caſtae ſum Palladis : haud bene viti
Jungor . tolle uvas : virgo mero abſtineo.

Alteae nuptiae . 1. 15. 1.

UXorem ducit qui rurſus , naufragus audet
Rurſus veſano credere ſe pelago.

De invidia . 1. 83. 5.

HOc boni habet , rerum quot ſunt res peſſima, livor,
Lividulis quod cor, quodque oculos cruciat.

De Nemeſi & Spe. 1. 25. 3.

DEdicat heic una Nemeſin, Spemque (a) Eunus in ara.
Haec ut vota hominum ſublevet , illa premat .

Nemeſis . 4. 12. 62.

FRaena gero & normam Nemeſis dea , dicere nil ut
Mortales doceam, vel facere immodicum.

De imperio miti ac ſevero . 4. 4. 18.

IMperio miti paullum tamen adde ſeveri;
Dulcis ut interdum ſpicula promit apis .
Paret equus virgae, ne jam grex devius errat ;
Contorto ſtridens quum fremit aura pedo.

Intemperantia vitam minui . 1. 37. 24.

QUi florente aevo Stygias cupit ire ſub umbras,
Deducent cupidum balnea , vina, venus .

Ad

(a) Nemeſi deae triſti ac ſeverae, pulcre jungitur Spes, dea facilis ac laeta, quae, ut ait Tibullus, *melius cras fore ſemper ait*; ne deſit modus in utraque fortuna.

Invidia nil pejus: habet tamen ipsa boni quid:
Invidi enim vultum macerat, atque animum.

Ad Jovem . 1. 31. 4.

Sive rogem , ſeu non , da mi bona Jupiter : idem
Quamvis uſque rogem te mala , ne dederis . (*a*)

De Noverca . 1. 50. 2.

Triſte noverca malum privignis ; ipſo & amore
Saeva nocet . Phaedram teſtor , & Hippolytum .

Cicada cantui gratia ſervata. 1. 33. 24.

Haeſit araneoli rara intra texta cicada ,
Pendens aeriis caſſibus implicita .
Hanc ego ſub pedicis audivi triſte canentem ,
Nec ſpretam captus carmine praeterii :
Exemi at laqueis ; dixi & ; ſervare , Camoenae
Cui dant argutis dulce ſonare modis . (*a*)

AGATHIAE

De morte contemnenda . 1. 37. 1.

Quid mortem horretis ? gignit quae ſola quietem ,
Sola graves morbos , pauperiemque fugat :
Et venit una ſemel , nec poſt redit ; ut mala febris ,
Atque aliae peſtes , quae numero innumero
Alternantque vices , iterumque iterumque reverſae
Humanum ſaevo dente genus laniant .

AL.

(*a*) Vide Alcibiadem II. Platonis , ex quo ſumtum eſt hoc carmen continens ſummam eorum , quae de precibus diſputat Socrates in eo dialogo .

(*a*) Morale eſt hoc epigramma , & docet poetis , atque aliis viris doctrina praeſtantibus , quum in periculum inciderint , opem ferri oportere .

Sive petam votis, seu non, bona Jupiter adde:
At si forte petam votis mala, Jupiter arce.

ALPHAEI MITYLENAEI

Parvo contentus . 1. 12. 2.

NOn amo ſegetes feracis arvi ;
Non quae rex habuit talenta Gyges . (*a*)
Vitae quod ſatis eſt amo , Macrine .
Nil nimis mihi nam nimis probatur .

AMMIANI

De Morte . 1. 37. 5.

LUx lucem trudit ; ſecuris Parca ſevera
Adveniet , nigras injicietque manus .
Et tabe hunc ſolvens , hunc urens , hunc male pinguem
Inflans , unum omnes detrahet in barathrum .

Divitiae breves. 2. 45. 1.

PRofer agros longe vel ad Herculis uſque columnas .
Exſtinctum terrae pars tamen aequa manet .
Nil obolum (*c*) praeter nactus , miſerende , jacebis ,
Iru

(*a*) Gyges , Candaule rege , cujus ſtipator erat , interemto , Lydiae regnum occupavit , ac tenuit duodequadraginta annis , ut proditum eſt ab Herodoto in Clio. Is quam dives fuerit , facile poteſt judicari ex his , quae ibidem ait idem ſcriptor . *Gyges , tyrannide occupata , Delphos miſit donaria non pauca ; ubi quae ex argento donata viſuntur, eorum pleraque illius ſunt : & praeter argentum, immenſam vim auri dedicavit , poſuitque , cum alia , tum vero pateras aureas numero ſex , pondo tri ginta talentorum* .

(*b*) Hoc *ne quid nimis*, quo ſe nimis delectari ait poeta, non conſtat a quo primum ſit prolatum. Ariſtoteles 3.Rhet. Bianti , Laertius Pythagorae , alii aliis tribuunt .

(*c*) Quem mortuis in os conjiciebant , ut haberent, quo Stygio

Irus (a) ut, ac fies non tua terra brevi.

ANTIPATRI

Platanus de ſe & vite. 1. 6. 4.

ME platanum aridulam ſerpens circumtegit, atque
Ornat pulcra ſuae vitis honore comae.
Illius aureolos olim quae fronde racemos
Fovi, quando umbrae dives & ipſa fui.
Talem aliquis colat uſque oro; quae ſola peremtae
Scit ſociae officii reddere fida vicem. (b)

De agricultura & navigatione. 1. 56. 1.

TRiſti deficiens morbo quum jam prope dulcem
Archippus vitam linqueret agricola,
Hac pater eſt gnatos adfatus voce: ligonem
Ruraque perpetuo diligite, o pueri:
Aequoris at miſeros dubii vitate labores,
Nec maris incertas cura ſit ire vias.
Dulcior eſt quanto mater quam ſaeva noverca,
Tanto unda melior, credite, terra viro eſt.

ANTIPATRI THESSALI

De Antigene & filia. 1. 78. 1.

ANtigenes gnatae civis mandata Gelous
Haec ipſo in mortis limine pauca dedit.

Uſque

Stygio illi portiori Charonti portorium ſolverent. De quo portorio inter ſe altercantes Charontem & Menippum inducit Lucianus in dialogis mortuorum.

(a) Mendicus Ithacenſis cujus ſaepe fit mentio apud Homerum in Odyſſea.

(b) Monet hoc epigramma quantam fidem ac ſtabilitatem in amicitia eſſe oporteat.

Uſque colum aſſidui conſortem, gnata, laboris
Fac habeas (vitae quod ſatis, illa dabit);
Quunique ibis nuptum, mores fac matris Achaeae (a)
(Dos melior ferri non potis ulla) feras.

Navis puſilla at felix. 1. 57. 13.

DIcor parva ratis, dicor minus apta ſuperbis
Puppibus aequoreas fortiter ire vias.
Non ego me inficior parvam: tamen omnia pontus
Aequa dat. heic ſortem quaerimus, haud modulos,
Magna gubernaclo fidat (ſpes eſt ſua cuique);
Parva ego freta deum numine tuta ferar. (a)

ANTIPHILI

In navigationem. 1. 56. 2.

DUx juvenum invenit Veſania per mare curſum,
Atque animos lucri propulit illecebra,
Illa ratem ſtruxit, praedae ſuccedit amore
Illa hominum praeceps in ſua damna genus.
Felix uſque genus; ſi tuto e litore longe
Undas infernum cerneret ut barathrum.

AR.

(a) Thucid. l.6. ait Gelam urbem conditam in Sicilia ab Antiphemo Rhodienſi, & Eutimo Cretenſi. ex his, opinor, cives Geloi ſe ortos eſſe gloriabantur, nec tam Siculi, quam Graeci haberi volebant. Itaque quum dicit Antigenes *affer mores matris Achaeae*, hoc eum dicere arbitror; affer mores dignos graeca muliere, dignos majoribus tuis.

(a) Quod de navibus dicitur, nihil eſt quominus ad vitam transferri poſſit, in qua amplitudini praeſtat felicitas.

ARCHIAE

De vita & morte . 1. 13. 1.

ET merito Thraces ſoecunda matris ab alvo
Egreſſis vitae in lumina dant lacrimas .
Iidem illos perhibent felices , atra ſatelles
Fati quos celeri funere Mors rapuit .
Eſt vivis alia ex aliis mala namque ferendum ,
Omnis at exſtinctis parta medela mali eſt .

BASSI

Mediocris vita optima . 1. 48. 1.

NOlo mihi nimio turgeſcant carbaſa vento :
Omnis nolo meam deſerat aura ratem . (*b*)
Inque mari medium quiddam placet , & placet omni
In vita : medium tu quoque , Lampi , tene ;
Otiaque , & diros quantum potes aufuge fluctus .
Optima , quae leni vita meat Zephyro .

LAER-

(*a*) Hic non omnium Thracum , ſed Trauſorum duntaxat mos fuit; de quibus Herodotus in Terpſichore. *Trauſi in caeteris quidem omnibus idem , quod Thraces* (reliqui) : *verum circa natalitia ſuorum hoc factitant . Edito puero , propinqui eum circumſidentes comploratione proſequuntur , recenſentes quaſcunque neceſſe eſt illi , quod vitam ingreſſus ſit , perpeti humanas calamitates . Hominem fato functum per riſum , atque laetitiam terrae mandant , commemorantes , quot malis liberatus in omni ſit felicitate .*

(*b*) Horatius eadem ferme ſententia Lycinium alloquitur l.2. oda.3. *Rectius vives Lycini , neque altum ſemper urgendo , neque dum procellas cautus horreſcis , nimium premendo litus iniquum &c.*

LAERTII.

Vita paucis contenta. 3. 33. 13.

VIvitur & parvo bene: pannus, pera, bacillum
Omnis erant vitae ſarcina Diogeni.

LEONIDAE

De capro vitem rodente. 1. 6. 2.

DEnte malo aggreſſus vitem caper improbus, omne
Jam teneri germen palmitis abſtulerat.
Quum ſubito ex imo eſt vox reddita; frondis honorem
Dilacera & ramos, ut lubet, hirce, meos;
At radix intacta olim tamen efferet, arae
Admoto poſſit quod ſatis eſſe, meri. (a)

Mors exlex. 3. 10. 3.

NIco anus innuptae Melites dat ſerta ſepulcro,
Quae, niſi mors leges neſciat (b), acciperet.

LUCIANI

De fruenda tuendaque re familiari. 1. 12. 6.

DIſce frui partis rebus moriturus, & idem
Victurus rebus parcere diſce tuis.
Ille mihi eſt ſapiens, qui rem bene miſcet utramque,
Jamque opibus novit parcere, jamque frui.

Grati-

(a) Ovid. faſt. l. 1. *Quem* (caprum) *ſpectans aliquis dentes in vite prementem, talia non tacito dicta dolore dedit. Rode, caper, vitem, tamen hinc, quum ſtabis ad aram, in tua quod ſpargi cornua poſſit, erit*.

(b) Quod ipſum tamen optima lege a Deo eſt conſtitutum, ut tota hominis vita ſit quaedam, perpetua, quemadmodum Plato appellat, mortis meditatio. ſemper enim paratos eſſe oportet ad id, quod ſemper accidere poteſt.

Nico anus Melites dat florea serta sepulcro
Virginis. Aequum o mors hoccine judicium?

Gratificandum cito . 1. 30. 2.

GRatior eſt celerat quae Gratia: Gratia vix eſt,
Quae tardo incedit Gratia clauda pede.

De Amore . 1. 26. 11.

NOn Amor humanum laedit genus, at, malefacta
Quo ſua quiſque tegat, nomen Amoris habet.

Aliter .

Non Amor humanum laedit genus; ille pharetram,
Non gerit, accenſas non quatit ille faces:
Sed male qui peccant veſana mente, paratum,
Quo ſua probra tegant, nomen Amoris habent.

Malis fruſtra fit bene . 1. 30. 4.

VIr malus urna carens fundo: quodcunque benigne
Feceris, effuſum protinus omne perit. (*a*)

Deo nihil occultum . 1. 38. 1.

IMpia facta latent homines fortaſſe: tuenti
Omnia ſed penitus mens patet ipſa Deo.

Fundus nullius proprius . 1. 80. 2.

FUndus Achaemenidae fueram, nunc eſſe Menippi
Coepi: alii poſt hunc tradar, & inde alii.
Credidit ille, ſuum me credit & iſte; ſed hercle
Nullius eſt quod Fors mancipat una ſibi.

Lente conſultandum . 1. 88. 1.

COnſilium lauda quod lente incedit, adhaeret
Conſilio celeri nam mala noxa comes.

Tem-

(*a*) Huic incommodo illud certiſſimum remedium paratum eſt, ut quae malis bene facimus, ea non ipſorum, ſed Dei cauſa faciamus.

Tempus felici breve, miſero longum. 1. 23. 8.

TOta brevis vita eſt felici : nox miſero una
It numero annorum longior innumero.

Rerum poſſeſſio brevis mortalibus. 1. 13. 5.

MOrtale eſt quod habes mortalis ; partaque linquit
Res dominum, aut certe linquitur a domino.

LUCILLII

In ſenes vitae cupidos. 1. 16. 2.

QUi poſtquam ſenuit tamen optat vivere, quidnam
Imprecer huic ? multas vivat Olympiadas.

MELEAGRI

Vinum aqua temperandum. 1. 59. 3.

SOrdentem cinere ex atro, nigraque favilla,
Natus ut eſt, Bacchum Najades abluerunt.
Ergo Naiadum gaudet comes ire ; deique
Indomito ardori ſola medetur aqua.

MIMNERMI

De vita hominum (a)

NOn ſecus ac viridem profert ver frondis honorem,
Solis ut a primis incaluit radiis ;
Mortales primo vernantes flore juventae
Ludimus ; & pravum nondum etiam ſuperi,
Nec rectum docuere. adſtant nigrantia Parcae
Numina, & haec ſenium triſte gerit, gelidam
Haec mortem intentat miſeris : fugit alma juventus,
Et Solis curſu praepete vincit equos.

(a) Exſtat in Gnomicis ed. apud haer. E. Vignon. 1600.

Quae poſtquam primis coepit decedere canis;
Vita ſubit triſti triſtior illa nece.
Curae animum carpunt acres; hic, paupere cenſu,
Atque famem atque ſuis frigora dura timet;
Hic dulces optat gnatos; at pallidus Orcus
Optantem ad nigros admonet ire lacus.
Hic lente morbo tabeſcit. Jupiter aequus
Nulli non hominum triſtia multa dedit.

De ſermone hominum. I. 89. I.

FAc quod opus (*a*) famae ſecurus: garrula turba,
Quidquid agas, dicent pars bene, parſque male.

PALLADAE

Libera paupertas. I. 12. 4.

NOn fortuna ultra, non me ſpes ludet inanis;
Nil metuo, nactus litora tuta, doli.
Exiguo in cenſu vivo liberrimus, acer
Magnarum, unde inopes laedimur, oſor opum.

De vitae varietate. I. 80. 16.

VIta hominum eſt ludus Fortunae; quae rotat orbem (*b*)
Inter opes medio pauperiemque loco;
Hunc & humo longe ſublatum ad ſidera tollit,
Hunc caelo ſedes devehit ad ſtygias. *In*

(*a*) Graeca verba ſunt ejuſmodi, ut potius dicendum fuerit: *Tu tibi fac placeas.* Verum ego ſic ſtatuo, neminem ſibi placere poſſe praeter illos qui recte faciant: qui ab officio deſciſcant, eos neceſſario ipſos ſibi diſplicere.

(*b*) Senec. in Thyeſte. Actu III. *Nemo confidat nimium ſecundis, nemo deſperet meliora lapſis.. Nemo tam divos habuit faventes, craſtinum ut poſſit ſibi polliceri. Res Deus noſtras celeri citatas turbine verſat.*

In Herculis ſignum dejectum. 1. 38. 9.

ALcidem in trivio nuper vidi, Aule, jacentem,
Diffractis foede crure, manu, capite.
Miranſque, indignanſque: eheu, Jove nate, nec ulli
Victe unquam, ut putri nunc male ſtratus humo es!
Haec ego: noctu idem praeſens mihi dicere viſus:
Cedere temporibus (*a*) vel deus edidici.

Nimium ſero vivere diſcimus. 1. 13. 11.

O homines, vanum genus & lacrimabile, diſcens
Vivere tum, vitae quum prope finis abeſt!

De aequanimitate. 1. 13. 9.

FAta (*b*) ferunt te, Clite; feras ni fata, dolebis
Mentem animi excrucians, Clite, ferere tamen.

Vita varia, ſepulcrum idem omnibus. 1. 13. 7.

VIta mare eſt, nautae vitam qui ducimus; urgent
Quos mala naviſragis flamina turbinibus.
Bruta gubernaclum torquet Fortuna (*c*), carinas

(*a*) Cic. Marcello ep. 9. l. 4. *cedere tempori, id eſt neceſſitati parere, ſemper ſapientis eſt habitum*.

(*b*) Fati nomine intellige tot vitae hujus aerumnas, quae ab homine ſiſti, & arceri non poſſunt; vel, ut quidam loquuntur apud Auguſtinum de Civ. Dei l. 5. c. 7., ipſam Dei voluntatem, has aerumnas hominibus immitentis. In quibus locum habent illa Senec. ep. 18. *Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis: & Deum, quo auctore cuncta eveniunt, ſine murmure comitari. Malus miles eſt, qui imperatorem ſuum gemens ſequitur*.

(*c*) Immo vero ſapiens, & omnia contuens providentia, a qua incertae atque inſtabiles hominum res certa & ſtabili ratione gubernantur.

Et regit incerta per vada caeca manu.
Adverſo hic curſu pontum ſecat, ille ſecundo:
Idem ſub terra portus utrumque manet.

Vitam ludo ſimilem eſſe. 1. 13. 8.

VIta hominum eſt ludus: ludum ne lude ſevere.
Cur fruſtra curis mentem animi excrucies?

Aliter

Ludus eſt hominum, Sabine, vita.
Hunc ni depoſita ſeveritate
Ludas, expedies nihil, moleſto
Ni fruſtra ut cruçies dolore mentem.

In luctu non abſtinendum cibo. 1. 63. 1.

HUc epulas, huc vina, puer: plorare ſuorum
Maeonides vacuo funera ventre vetat:
Et Nioben meminiſſe dapis, biſſena ſepulcro
Poſtquam gnatorum condidit oſſa, refert. (*a*)

In diteſcentem. 1. 66. 4.

DIteſcis. quid tum? congeſtaſne undique in unum,
Stulte, tuo condes divitias tumulo?
Addis opes opibus fruſtra, miſer. addier ulla
Nam vitae interea non potis hora tuae.

De taciturnitate. 1. 75. 1.

POſſe loqui magnum eſt; ſed majus poſſe tacere.
Teſtor divini dogmata Pythagorae. (*b*)

Elo-

(*a*) Iliad. lib. 24. v. 602.

(*b*) Magna res eſt eloquentia, major taciturnitas. Itaque Plutarchus in libello de Garrulitate: *magiſtros*, inquit, *lo-quen-*

Eloquio clarus, doctor fuit ille ſilenti,
Primus ut hac animos ſiſteret arte leves.

De taciturnitate . 1. 75. 2.

STultus nil diſtat ſapienti quum tacet, atque,
Ulceris in morem, dicta pigenda tegit.

De mediocri fortuna . 1. 83. 1.

INvidia eſt melior quam fletus, Pindarus inquit. (a)
Conſpicui vivunt quos petit invidia:
At contra miſeros flemus. tamen ipſe videri
Nec fletu dignus malo, nec invidia.
Extremis medium praeſtat. ſors ſumma, periclum;
Contemtum ac turpem ſors habet ima notam.

PAULLI SILENTIARII

De Damone & Hiera. 7. 39.

AUreolum vellens flavo de vertice crinem
Damonis captas vinxit Hiera manus.

F 3 Ille

---

quendi habemus homines, tacendi deos, adhibito ad ſacra, & ad arcanos ritus ſilentio. Idem Plutarchus affert ex Euripide verba, quibus Ino gloriatur, *ſcire ſe tacereque in loco, &, quum tutum eſt, loqui*: atque addit: *qui enim generoſe, ac regie inſtituuntur, diſcunt prius tacere, deinde loqui*. Jure igitur poeta laudat Pythagoram, qui quum eſſet non ſolum ſapiens, verum etiam eloquens, tamen ut animos hominum componeret, non eloquentiae, ſed taciturnitatis ludum aperuit. De Pythagorae diſcipulis haec ſcribit Diogenes Laertius: *quinquennium totum ſilebant, ſolum quae dicerentur, audientes, ac donec probarentur, nunquam Pythagoram videntes: hinc jam ad ejus domum, adſpectumque admittebantur*.

(a) In Pythionicis hymno. 1. 5.

Ille jocum riſit primo, tam tenuia frangi
  Vincula dum nullo poſſe labore putat.
Inde ubi conatus multa eſt, nec frangere quivit;
  Vinctus ut aeratis, ingemuit, manicis.
Nunc ſervit, trahiturque hac illac, atque ſuperbam
  Aureolo ſequitur crine ligatus heram. (*a*)

Nihil in vita firmum praeter virtutem. 1. 5. 8.

NEc tibi fortunae mentem levis efferat aura,
  Corda nec ingrato pondere cura premat.
Mobilis inſtabili vita haec jactatur in unda,
  Atque huc atque illuc rapta ſalo abripitur.
Una manet virtus nullis concuſſa procellis. (*b*)
  Huic fide, hac pontum vectus, amice, ſeca.

PHILONIS

De canitie. 1. 16. 7.

QUi ſapit, huic decori cana eſt coma: ſed male ſi quis
  Deſipit incano turpior eſt capite.
Canities tacitum commendat; ſtulta loquenti
  Canities nihil eſt, ni pilus ac ſenium.

PLATONIS, vel MUSICII

Muſae Amori non obnoxiae. 1. 7. 1.

CYpris ait Muſis: Veneri ſervite, puellae;
  Ni facitis, telo vos petet acer Amor.

Cui

(*a*) Ex parvis cauſis, magni ſaepe amores exiſtunt: qui amat libertatem, atque odit miſerrimam, turpiſſimamque ſervitutem, nullum tam ſubtile, ac tam fragile vinculum eſſe putet, ut eo ſe alligari patiatur.

(*b*) Cic. pro Sex. 60. *Virtus in tempeſtate quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco, manet tamen.*

Cui Muſae : iſta tuo dic Marti , garrula ; celſas
Ad Pindi rupes non volat ille puer .

POSIDIPPI, vel CRATETIS,

De vitae incommodis . 1.13.3.

QUod mihi jam vitae placeat genus ? & fora fervent
Litibus , & curis moeret onuſta domus .
Rura labor , terror maria inſidet . Urbe paterna
Si procul externos mens ſit adire lares ,
Ditem anget graviter ſervanda pecunia , egentem
Nuda & inops anget pauperies gravius.
Duxeris uxorem ; curarum millia duces
Multa domum : nolis ducere ; ſolus eris .
Sit proles ; curis patrem enecet : orbus at idem ,
Mancus eris , ceu ſit pars tibi demta tui .
Mente caret juvenis : poſtquam ſapientia venit
Sera , ſibi queritur genua labare ſenex .
Et vitam optamus? multo eſt ſors optima nunquam
Vel naſci , primo vel periiſſe die .

De vitae commodis METRODORI . 1. 13. 4.

QUod mihi non vitae placeat genus? & fora laudem
Et requiem feſſo praebet amica domus .
Rura petis ; animos oblectant rura : per altum
Is mare ; longinquo a litore lucra refers .
Cum peregre es ; dives , poteris clareſcere ; pauper ,
Pauperiem ſolus noveris ipſe tuam .
Duxeris uxorem , gnatis augebere ; caelebs
Si fueris , nullo colla premere jugo .
Dulce patri gnati circum oſcula , ſed tamen orbi

Patris ſollicito corda timore vacant.
Et ſenium & viridem poſſum laudare juventam,
Nam juvenis praeſtat robore, mente ſenex.
Et vitam culpas? vitae genus elige quodvis;
Quippe vides multis omnia plena bonis.

RUFINI

Ad Rhodocleam. 7. 126.

HAnc, Rhodoclea, tibi vario de flore corollam
Mitto, mea in pratis quae modo plexa manu eſt.
Heic roſa, narciſſuſque, & rore madens anemone,
Liliaque alba nitent, ceruleae & violae:
His ornaque caput; ſubmiſſo & dicito faſtu:
Ut flos, deficiet ſic mea forma brevi.

STATILII FLACCI

In ſimulacrum Cupidinis dormientis. 4. 12. 66.

DOrmis, qui vigiles gaudes immittere curas.
Dormis, aequoreae ſaeve puer Veneris.
Nec manibus quaſſaſve facem diro igne coruſcam,
Aut cornu e valido tela ſonora jacis.
Confidant alii. me vel tua ſomnia terrent,
Et metuo ne quid triſte mihi videas. (a)

* *
*

AN-

(a) Docet, Amorem, auctorem illum, ut Tullius vocat, flagitii, ac levitatis, etiam quum maxime pacatus, atque innoxius videtur, tamen a ſapiente metui oportere.

ANTHOLOGICORUM
CAPUT QUARTUM.
EPIGRAMMATA VOTIVA.

INCERTORUM.

Alconi Apollini barbam . 6. 22. 4.

HUnc flavae tondens florem lanuginis Alcon ;
Signa viri, ponit, pulcer Apollo, tibi : (a)
Teque rogat, facias, olim ut tibi, ſigna ſenectae,
Albam etiam poſſit ponere canitiem.

Athenienſes Jovi Olympio templum . 4. 20. 2.

THeſidae magno templum Jovi: Olympus, Olympo (b)
Digreſſum, in terris alter ut excipiat.

AEGI-

(a) Morem hunc conſecrandi Apollini barbam primo reſectam indicat Statius Theb. 8. 491. *flavum Hypanin, flavumque Polyten. Ille genas Phoebo, crinem hic paſcebat Iaccho.* Item Julius Pollux: *quum ephebi barbam, & comam tonderent, cujus primitias Apollini, & fluminibus conſecrabant.*

(b) De hoc templo dixi pag. 3. animad. c.

AEGIDIS

Apollini Medon inſtrumentum aucupii. 6. 15. 27.

FUrcillaſque, pedumque tibi, viſcoque madentes
Hoſce auceps Medon, Phoebe, dedit calamos,
Parvi operis munus parvum; majora daturus,
Abs te, Phoebe, aliquid majus ubi accipiet.

ALCAEI

Dorotheus Baccho tibias & citharam. 1. 11. 4.

QUi, bonus argutam calamis conjungere vocem,
Dorotheus triſtes Dardanidas (*a*) cecinit;
Fulmineum & Semeles partum (*b*); Trojaeque laborem,
Ardua quum victor Pergama ſtravit equus: (*c*)
Cantoreſque inter celebrantes orgia ſolus
Ungue malo volucris fugit ab Invidiae,
Thebani proles Soſiclis, celſa Lyaei
Ad templa heic calamos & citharam poſuit.

ANTIPATRI

Philippus Herculi exſuvias tauri. 6. 15. 23.

MUgitu Orbeli (*d*) ſaltus qui terruit alto,
Qui ferus Emathiae vaſta dabat nemora,
Dardaniae (*e*) cladem gentis, rex ipſe Philippus (*f*)

Ful-

(*a*) Troadas Euripidis (*b*) Fortaſſe Bacchas ejuſdem Euripidis. (*c*) Tragoediam quae fortaſſe inſcribebatur equus Trojanus, ut illa cujus fit mentio a Tullio in l. 7. fam. 16.

(*d*) Orbelus eſt mons Macedoniae cujus mentionem facit Plin. l. 1. c. 4.

(*e*) Qui non modo Emathiam ſive Macedoniam vaſtabat, ſed etiam Haemum tranſgreſſus Dardanos magnis cladibus afficiebat.

Fulmineo taurum ſtravit humi jaculo :
Haec tibi &, Alcide, praeduro non ſine tergo,
Indomiti capitis cornua celſa dedit.
Quippe tua exortum clara de ſtirpe decebat
Caede boum, (a) genitor, eſſe tibi ſimilem.

ANTIPATRI SIDONII

Pherenicus Palladi tubam. 6. 25. 3.

HAnc belloque bonam toties ſacriſque miniſtram,
Magnum barbarico quae ſonat ore tuba
Aerea, Palladiam ponit Pherenicus ad aram;
Et bellum ſenior deſinit atque ſacra.

ANTIPHILI

Ad haſtam dicatam Dianae ab Alexandro. 6. 25. 9.

CUſpis Alexandri, regem ſacraſſe Dianae
Quam docet Argivis littera ſcripta notis,
Invictae fulmen dextrae; cui maxima tellus,
Cui ceſſit, late quam patet, Oceanus;
Salve o, qua viſa, nullo non tempore magnae
Horreſcent dextrae pectora ab admonitu.

BAC-

(c) Amyntae filius, Alexandri M. pater, quem ex Herculis gente ortum eſſe ab omnibus pro certo haberi ait Plutarchus in vita Alexandri.

(a) Anthol. 1. 8. 6. eſt carmen incerto auctore, in quo labores Herculis enumerantur, ejuſque octavus labor fuiſſe dicitur taurus ex Creta exactus. Item in ſeptimo epigrammate ejuſdem capitis dicitur Hercules perdidiſſe leonem, hydram, taurum: quem ipſum taurum ſignificare putantur illa verba Virg. Ae. 8. *Tu Creſſia mactas prodigia.* Niſi forte mavis haec Antipatri verba referre ad bovem Thiodamantis, & alios, quos Hercules a ſe mactatos voravit.

BACCHYLIDIS.

Eudemus Zephyro ſacellum . 6. 7. 6.

Eudemus viridi parvum hoc in valle ſacellum , (a)
Ventus quo nullus pinguior (b) eſt , Zephyro :
Quod citus auxilio venit , jactataque farra
Secrevit vanis commodus a paleis .

ERATOSTHENIS

Xenophon Baccho cadum . 6. 18. 1.

Huncce cadum Xenophon Baccho vinoſus inanem ;
Solus (vina hauſit nam ſibi) qui ſupereſt .

EUTOLMII ILLUSTRII

Rufus Minervae arma omnia . 6. 25.8.

Enſis , ſcutum , ocreae , thorax , galea , haſta dicantur
Armiſonae a Rufo Palladi Membiada . (c)

GEMINI

Tropaeum (d) Philippi de Athenienſibus . 4. 4. 12.

Hoſpes , Cecropidum genti gravis , atque Gradivo
Sto ſacer , Emathiae gloria magna , lapis ,

De-

(a) Ventis divinos honores tributos eſſe conſtat ex Herodoto , Xenophonte , Tullio , Virgilio , Pauſania .

(b) Zephyrus pinguis dicitur , quod eo flante fruges pingueſcunt , & augentur .

(c) Fortaſſe Memmiada : ut hic Rufus fuerit ex gente Memmia , puta Q. aut P. Memmius Rufus . quod confidentius ita eſſe dicerem , ſi quam in gente Memmia Ruforum familiam invenirem .

(d) Hanc inſcriptionem confictam eſſe magno indicio eſt ipſum poetae nomen prorſus Romanum . Adde Pauſaniam haec ſcribentem in Boeoticis: *Amyntae quidem filius Philippus ,*

Dedecorans Marathona, & litoreae Salaminae
Geſta Philippea grandia verſa manu. (*a*)
I nunc, & patrias jura, o Demoſthenes, umbras (*b*)
Patribus, & toti ſto gravis heic generi.

GETAE

Alcon venator arcum & pharetram, 6. 11. 3.

UT pater immanem ſpiris ingentibus anguem
Vidit gnati Alcon artubus implicitum;
Nulla mora, intenditque arcum, telumque volucre
Ora manu certa fixit in ipſa ferae.
Nec puerum ferro laeſit, lethalis arundo

Sit

pus, neque ad Chaeroneam, neque uſpiam, vel de barbaris, vel de Graecis a ſe victis ullum ſtatuit tropaeum: neque fuit omnino patrius Macedonibus mos, victorias ſuas tropaeis ullis teſtatas relinquere.

(*a*) Nihil eſt celebratius apud Atticos ſcriptores duabus victoriis Athenienſium, altera Marathonia, qua Darii, altera Salaminia, qua Xerſis opes attritae ſunt, ac toti Graeciae, ſummum in diſcrimen adductae, ſalus ac libertas conſtituta. haec tam praeclara facinora, partaeque inde gloriae altitudinem everſam, atque abjectam eſſe ait a Philippo, eo praelio, quo Athenienſium copias ad Chaeroneam Boeotiae oppidum profligavit.

(*b*) Demoſthenes in orat. de corona. *fieri non poteſt, Athenienſes, ut erraveritis defenſione libertatis, & ſalutis omnium, cum periculo ſuſcepta: non, teſtor majores noſtros, qui in Marathone ante alios dimicarunt, & qui ad Plateas in acie ſteterunt, & qui ad Salaminam navale praelium commiſerunt, & qui ad Artemiſium, & multos alios, qui in publicis monumentis ſepulti jacent, fortes viros.* Haec Demoſthenes in oratione, quae habita eſt regnante Alexandro: ut in tropaeo Chaeronenſi, ſi quidem a Philippo ſtatutum fuiſſet, eorum mentio fieri non potuerit.

Sit licet extremam ſtringere viſa cutem.
Nunc arcum & pharetram ſuſpendit ab ilice, ut artis
Fortunaeque una ſint monumenta ſuae.

HERMOCREONTIS

Ad Nymphas. 1. 3. 4.

NYmphae, Naiades nymphae, queis, pulcra fluentem
Nactus aquam, laetus dona dat Hermocreon,
Salvete; undoſamque domum celebrare frequentes,
Et facite hinc purus profluat uſque liquor.

Mercurius ad viatorem. 1. 20. 12.

PRaeteriens platani confide hac, hoſpes, in umbra,
Cui Zephyrus pulcris murmurat in foliis:
Dives ubi Majae prolem, felicia rura
Ut vigil haec ſervem, Nicagoras poſuit.

LEONIDAE

Pyrrhus Palladi ſcuta Gallorum. 6. 25. 13.

SCuta Moloſſeus rex haec tibi, Pallas Ithoni,
Pyrrhus magnanimis dedicat a Galatis,
Fuſa acie Antigoni (*a*). Nec mirum. bellipotentes
Et fuerunt, & ſunt nunc etiam Aeacidae. (*b*)

Pyr-

(*a*) Pyrrhus rex Epiri, cujus pars eſt Moloſſia, *ab Italica clade*, inquit Pauſan. in Atticis, *quum paullum conquieviſſet, milite confirmato, Antigono ſtatim bellum indixit, ... & copias, cum Antigoni proprias, tum Gallorum mercenarias, primo impetu fudit, fugavitque ... Praelii magnitudinem, & Pyrrhi victoriam declarant Gallorum ſcuta in Ithoniae Palladis templo, quod inter Pheras, & Lariſſam eſt, dicata cum epigrammate.*

(*b*) Pyrrhus enim ab Achille, genus ducebat ejuſque laudum ſe emulatorem profitebatur.

Pyrrhus Jovi ſcuta Macedonum (a)

DItem Aſiae terram quae vaſtavere ; tulerunt
Quae tibi triſte olim , Graecia , ſervitium ,
Nunc Jovis in templo pendent erepta ſuperbae
Aeacida a Pyrrho ſcuta Macedoniae .

Ad Deos agreſtes 1. 3. 5.

O caulae , o rupes Nympharum , o dulcis aquae fons ,
Roſcidaque ad dulcem conſita pinus aquam ;
Tuque , Herme quadrate , ovium cuſtodia ; tuque
Ductor barbigeri , Pan Tegeaee , gregis ;
Haec liba , hunc vini cyathum facileſque bonique
Accipite , Aeacidae dona Neoptolemi . (b)

Philocles Mercurio ludicra . 6. 23. 1.

LAudatamque pilam , flavo & crepitacula buxo ;
Quoſque ſua talos triverat uſque manu ;
Et quem verſabat rhombum , ſua ludicra ; poſtquam
Desiit eſſe puer , Mercurio Philocles .

Mori-

(a) Parta ea quam dixi victoria , Pauſonias ait ſcuta Macedonum ſuſpenſa fuiſſe in templo Jovis Dodonaei & inſcriptum hoc epigramma ; de cujus auctore ille quidem nihil dicit ; mihi veriſimile videtur , etiam hoc ſcriptum eſſe a Leonida , cui video attributum in Anthologia epigramma , quod proxime antecedit .

(b) Non Neoptolemi Achillis filii , ut putat Brodaeus , cujus Neoptolemi tempora longiſſime diſtant a Leonidae temporibus , ſed ejus Neoptolemi , quem Pyrrhus Epirota aliquandiu ſocium regni habuit . Vide Plutarchum in vita Pyrrhi .

Morichus Mercurium ſtabuli cuſtodem . 4. 12. 38.

HUnc Morichus paſtor caulas prope dedicat Hermam,
Cuſtos caprigenum ſervet ut ille pecus ;
O nemore in viridi paſtae, mea cura, capellae,
Jam licet audaces non timuiſſe lupos.

De muſto Baccho & Satyris oblato . 6. 7. 3.

HEronax munus Satyris Bacchoque bibaci
Prima tulit ternis pinguia muſta cadis :
Nos ubi libatum Satyris Bacchoque bibaci,
Laeti vinoſis plus bibimus Satyris.

LUCILLII

Naufragi votum . 6. 21. 1.

O Glauce, o Nereu pater, Inoque, & Melicerta,
Et Neptune (*a*), Sami & numina Threiciae ; (*b*)
Naufragus hanc vobis (aliud nil reſtat) ab udo
Sectam do munus caeſariem capite.

Nau-

(*a*) In Graeco eſt βυθίῳ Κρονίδῃ, profundo Saturni filio :

(*b*) Dii Samothraces, qui etiam Cabiri, Dioſcuri, Anactes, Dii magni appellabantur. Eorum hiſtoriam (ſi quidem res tot fabulis implicata hiſtoria vocari poteſt) tradit Herodotus in Euterpe, Strabo l. 10., Pauſanias in Boeoticis. Qui Samothracum ſacris eſſent initiati, e maris tempeſtatibus incolumes evadere ait Schol. Apollon. l. 1. Argonaut. Iiſdem ſervatos e mari vota appendere ſolitos, indicio ſunt illa Tullii de Nat. Deor. 3. 37. narrantis, quum Diagoras in Samothraciam veniſſet, ei quendam amicum dixiſſe: *Tu qui Deos putas humana negligere, nonne animadvertis ex tot tabulis pictis, quam multi votis, vim tempeſtatis effugerint, in portumque ſalvi pervenerint?*

Diis agreſtibus venator canes . 2. 28. 1.

O Pan ſpeluncis gaudens , & Oreades altae ,
Et Satyri , & truncis abditae Hamadryades ;
Marcus , nil praedae canibus quod ceperat , ipſos
Suſpendit vobis , corde furente , canes.

Votum pugilis (a) 2. 1. 10.

NUnc pugil haec capitis tibi , Olympie Jupiter, Aulus
Oſſa minuta , manu cuncta legens , poſuit ,
Vivus at e Nemea per te ſi evaſerit olim ,
Et talos ponet , qui ſibi adhuc ſuperant ,

M A C E D O N I I

Daphnis Pani clavam . 6. 24. 4.

HAnc Daphnis Pani clavam , cogente ſenecta ,
Dedicat ; infirmam nam gravat illa manum ,
At bonus argutas retinet ſibi cantor avenas ;
Nam vox infirmo in corpore firma ſonat .
Heu ! ſenio fractas mihi vires , in nemora alta
Ne qua ferat ſaevis nuncia fama lupis !

M N A S A L C I

Ad fiſtulam Veneri dicatam , 1. 3. 3.

FIſtula , qui Veneris delubrum ingreſſa ? bubulci
Huc te ſejunctam quis tulit a labiis ?
Non heic ſunt colles valleſque ; urbanus Amorum
At chorus eſt . Silvas ruſtica muſa colit .

G MNE-

(a) Poeta hujus pugilis ignaviam irridens,eum inducit oſſa capitis diffracta Jovi Olympio dedicantem, ac pollicentem, ſi vivus e Nemeaeo certamine evaſerit , etiam talos dedicaturum . Quibus verbis ſignificat futurum, ut cui caput ad Olympiam diſtractum ſit, ei ad Nemeam tali diſtringantur ,

MNESARCHI

Apollini Promachus arcum & pharetram. 6. 25. 2.

HUnc arcum & pharetram victor ſuſpendit inanem,
Phoebe pater, Promachus, munera grata, tibi:
At medias inter volitantia tela phalanges,
Hoſtes in medio pectore fixa gerunt.

PAULLI SILENTIARII

Nicagoras Jovi clypei reliquias. 6. 25. 6.

HOcce Jovi clypei fragmen, geſtamina laevae
Aerea, bellator Nicagoras poſuit.
Quidquid abeſt, nimbus telorum, & ſaxea grando,
Diſcuſſum, atque enſes vulnifici abſtulerunt.
Qualiſcunque tamen ſervavit meque, mihique eſt
Semper ſervatus millibus in mediis
Umbo. quem quiſquis cernet ſancita videbit
Spartae ſcita, hoſti quae dare terga vetat.

PHILIPPI

Agricola Cereri manipulos. 6. 7. 1.

HOs tibi, flava Ceres, parvo de rure maniplos,
Donum Soſicles attulit agricola.
Tu, dea, fac rurſus, pleno laſſatus in arvo,
Huc hebeti rediens munera falce ferat.

Calli-

(*a*) Huc facit oratio, qua Demaratus Spartanus apud Xerſem uſus eſſe dicitur ab Herodoto in Polymnia. *Lacedaemonii faciunt quaecumque lex cogit: cogit autem idem ſemper, ſemper vetans eos ex acie fugere quantamvis hominum multitudinem, ac jubens ut ordinem non deſerentes, aut vincant aut occumbant.*

Callimenes Muſis inſtrumentum ſcriptorium. 6. 26. 1.

ET teres hoc plumbum ſcripto aptum ponere fines,
Cultellum & tenues quo ſecuit calamos,
Et ſummam hanc normam, curvoque in litore lectum
Hoc ſcabri fragmen pumicis aridulum, (a)
Callimenes poſuit Muſis; offundere coepit
Quum nubem infirmis cana ſenecta oculis.

PLATONIS

Lyda ſeneſcens Veneri ſpeculum. 6. 8. 1.

HOc Veneri ſpeculum ſuſpendit Lyda: nequiret
Jam ſe quod juvenem cernere; nollet, anum.

Aliter

Lyda hoc do Veneri ſpeculum; quod me ipſa videre
Qualis ſum, nolo; qualis eram, nequeo.

SABINI

Diis agreſtibus. 6. 7. 11.

PAni haedum, atque roſas nymphis, thyrſumque Lyaeo
Heic nemore in viridi dat, tria dona, Biton.
Mente boni haec hilari accipite; & date largiter illi;
Pan, pecudes; nymphae, flumina; Bacche, merum.

SIMONIDIS.

Bellator Jovi haſtam. 6. 25. 4.

SAcra, Panomphaei (b) munus Jovis, haſta, columnae
Huic adfixa mane tempus in omne, tuus

(a) Plumbi, & pumicis etiam Catullus mentionem fecit in inſtrumento ſcriptorio, carm. 19. *membrana directa plumbo, & pumice omnia aequata.*

(b) Jovis Panomphaei fit mentio ab Homero Il. 8. 250. & ab

Jam ſenuit mucro , tuque es detrita , tumultu
Dum tuus in crebro te , bona , quaſſat herus .

THEOCRITI

Paſtor Muſis & Apollini.

HOc ego ſerpyllum , matutinoque madentes
Rore roſas Muſis ſervo Heliconiaſin .
At laurum hanc nigram ſacro tibi , Pythie Paean ; (a)
Lauro cui rupes Delphica luxuriat ,
Praeterea ſacer eſto , avide extremum terebinthi
Villoſus ramum qui vorat , ille caper .

Daphnis Pani.

CAndidus agreſti pulcre qui luſit avena ,
Haec tibi , Pan , Daphnis dona dat ; hinnulei
Pellem . haſtile , pedum , calamos , peramque , ferebat
Olim qua parvus dulcia poma puer .

AN-

& ab Ovid. Met. l. 9. *dextera Sigei , Rhoetei laeva profundi ara Panomphaeo vetus eſt ſacrata Tonanti* .

(a) Nomen Apollinis uſitatum apud Graecos , nec inuſitatum apud Latinos , praeſertim in victoria , cujus inſigne nemo neſcit fuiſſe laurum .

ANTHOLOGICORUM
CAPUT QUINTUM.
EPIGRAMMATA SEPULCRALIA.

INCERTORUM.

Tumulus Orphei (a) 3. 25. 9.

ORphea Threicii nemoroſo in vertice Olympi
Prolem Calliopes, contegit hic tumulus.
Orphea qui thyaſos invenit primus Iaccho
Ducere, & heroo nectere verba pede.

(a) Pauſanias in Boeoticis. *Graeci & alia multa, quae nunquam evenerunt, pro veris habent, & illud inter caetera; Orpheum Calliopes filium fuiſſe (non tamen ejus, quae Pieri filia fuerit) & allicere ſolitum cantu feras . . . At enim mea opinione Orpheus carminis concinnitate omnes, qui ante illum fuerunt, longo ſuperavit intervallo: magnam autem ex eo auctoritatem conſequutus eſt, quod & deorum initia, & nefariorum facinorum expiationes creditus eſt adinveniſſe; morborum etiam remedia, & iratorum numinum placationes.* Ibidem de Orphei ſepulcro haec habet. *A Dio per montanam viam ſtadia XX progreſſis columna eſt ad dexteram; ſuperimpoſita columnae eſt lapidea urna: in ea Orphei oſſa condita regionis ejus incolae dicunt. . . Ab hoc longe diverſum ſer-*

Orphea cui durae quercus ; cui ſaxa ; ferarum
Cui brutum toties paruit omne genus.
Orphea Plutonis mentem ; atque immânia ſolus
Qui potuit dulci flectere corda lyra ,

Tumulus militum Tegeatum . 3. 5. 47.

HOrum ob virtutem non ivit ad aethera fumus
Incenſis latae moenibus a Tegeae ; (*a*)
Servitii expertem patriam qui linquere gnatis ,
Ipſi acie in prima ſed voluere mori .

Tumulus militum Eretrienſium 2. 5. 29.

GRaja manus juvenum , quos miſit Eretria , Suſis
Accubat . heu dulci quam procul a patria !

Tumu-

ſermonem Lariſſae audivi . Urbem enim in Olympo celebrem Libetbrum nomine fuiſſe,qua mons in Macedoniam ſe immittit ; ab ea urbe non longe Orphei ſepulcrum abeſſe .

(*a*) Tegea fuit urbs Arcadiae , quam, ut ſcribit Herodotus in lib. 1. & Pauſanias in Arcadicis , ſaepe Lacedaemonii bello appetiverunt , ſaepe ab ea, magnis cladibus acceptis , repulſi ſunt. Poſtremo , converſa fortuna , Tegeatae ſuccubuere .

(*b*) Eretria erat urbs Euboeae ; Suſa ſita erant , ut Herodotus docet , ultra Armeniam, & Matienos , & Ciſſiam ad flumen Coaſpem ; in qua urbe rex Perſarum domicilium & theſauros habebat. Eo expeditionem ſuſceperunt Eretrienſes una cum Athenienſibus, & Ionas in Sardibus expugnandis juverunt,ſed brevi a Perſis praelio victi, ac caeſi ſunt. Id praelium factum eſſe ad Epheſum ſcribitHerodotus in Terpſichore : hic poeta ita loquitur , ut Eretrienſes videantur multo longius proceſſiſſe , ac Dario in ipſa propemodum regia terrorem intuliſſe .

Digitized by Google

Tumulus Archilochi. 3. 25. 20.

ARchilochi (*a*) hoc buſtum propter mare; primus
Carmen qui ſanie tingere viperea (acerbum
Inſtitit, innocuum foedans Helicona cruore.
Scit, qui gnatarum tres gemit ob laqueos
Multa, Lycambes: at tacitus tu perge, viator;
Veſpas (*b*) ne irrites quae tumulo involitant

Aeſchyli tumulus 3. 25. 29.

AEſchylon (*c*) hoc marmor, quod contegit oſſa, jacere
Cecropia extorrem (*d*) dicit ab urbe procul

G 4 Alba

(*a*) Archilochus Parius iambicos verſus invenit; iiſque Lycambem, quod filiam, quam ei deſponderat, alteri in matrimonium collocaſſet, tam acriter inſectatus eſt, ut miſerum hominem ſimul cum filia, vel, ut aliis placet, ſimul cum duabus, vel tribus filiis ad ſuſpendium adegerit. Hujus ſe imitatorem profitetur Horatius l. 1. ep. 19. *Parios ego primus Iambos oſtendi Latio; numeros, animoſque ſequutus Archilochi, non res, & agentia verba Lycamben.* nam is, ut ab illo exprimitur, *nec generum quaerit, quem verſibus oblinat atris, nec ſponſae laqueum famoſo carmine nectit.*

(*b*) Reſpexit ad proverbium, quo vetamur crabones irritare, id eſt, acerbis, & iracundis hominibus moleſti eſſe.

(*c*) Hunc, ut ait Philoſtratus l. 6. de vit. Apollon. *Athenienſes tragoediae parentem habuerunt.* quam quidem nactus adhuc obſcuram, ſic illuſtravit, ut non immerito Quintil. l. 10. Inſtit. c. 1. illa ſcripſerit: *Tragoedias primus in lucem Aeſchilus protulit, ſublimis, & gravis, & grandiloquus.*

d De cauſa hujus exſilii non convenit inter ſcriptores. alii tradunt Aeſchylum Athenas reliquiſſe, atque in Siciliam

ad

Alba Gelae Siculi prope flumina. Veſtra quid urget
Uſque bonos cives (*a*), Cecropidae, invidia? (*b*)

Tumulus Telephanis tibicinis. 3. 8. 1.

QUam citharae blandum decorarunt Orphea, melle
Neſtora quam dulci dulcius eloquium,
Divinum ſapiens decorat quam carmen Homerum;
Marmore tam clauſum hoc tibia Telephanem. (*c*)

Tu-

---

ad Hieronem ſe contuliſſe, quod ferre non potuerit ſe poſthabitum, vel Sophocli in tragoedia, vel Simonidi in elegiacis: alii eum ajunt offendiſſe apud Athenienſes, quod Cereris myſteria vulgare, nec de diis eadem, quæ caeteri, ſentire videretur: alii poſtremo, quod quum exhiberet Eumenidas, ita populus perculſus terrore eſt, ut infantes pueri deliquium, gravidae mulieres abortum paterentur.

(*c*) Fuit Aeſchylus non modo poeta, ſed etiam civis egregius, ac pugnavit pro patriae ſalute tribus praeliis, Marathonio, navali ad Salaminam, & Plataeenſi. Vide Anonymum in ejus vita.

(*b*) Huc faciunt illa Phocionis verba apud Nepotem in ejus vita. *Hic* (vir integerrimus, ex quo & cognomine bonus eſt appellatus) *quum ad mortem duceretur, obvius ei fuit Emphyletus, quo familiariter fuerat uſus. Is quum lacrimans dixiſſet, o quam indigna pateris, Phocio; huic ille, at non inopinata, inquit. hunc enim exitum plerique boni viri habuerunt Athenienſes*.

(*c*) De hoc, opinor, ſunt illa Plutarchi in Opuſc. de Muſica. *Telephanes Megarenſis, qui ita infenſus fuit fiſtulis, ut nunquam ſit paſſus, tibiarum opifices eas imponere tibiis; quin & Pythico certamine hac maxime de cauſa abſtinuerit*. De eodem fortaſſe Demoſthenis ſcholiaſtes: *atque illi obtigit pulcerrimus tibicinum Telephanes*.

Tumulus Philippi Macedonis 3. 5. 39.

AEmathiam incendi primus (*a*) qui ab bella, Philippus
Aegaea (*b*) jaceo contumulatus humo.
Geſſi quae nemo regum (*c*) : ſi quis tamen audax
Jactat plura, mei eſt ſanguinis hoc etiam. (*d*)

Tumulus Theodectis. (*e*)

TErra Phaſeliten gremio fovet haec Theodecten,
Magnum ſanctarum munere Pieridum. (*f*)

Tu-

(*a*) Gloriatur ſe primum Macedonas ad militarem gloriam evexiſſe, quorum antea res adeo afflictae, atque animi abjecti erant, ut pecunia & obſidibus dandis bellum a finitimis gentibus redimere cogerentur.

(*b*) Macedonum reges Aegis tumulari ſolebant, cujus rei originem tradit Juſtinus lib. 7. *Senex* (Perdicca) *Argaeo filio monſtravit locum, quo condi vellet, ibique non ſua tantum, ſed & ſuccedentium ſibi in regnum oſſa poni juſſit, praefatus, quoad ibi conditae poſterorum reliquiae forent, regnum in familia manſurum.*

(*c*) Demoſthenes Olynt. II. loquens de Philippo. *Hanc opinionem, ut ea perfeciſſe dicatur, quae nullus alius Macedonum rex, vitae ſecuritati anteponit.*

(*d*) Huic ſuae laudi ait non officere, quae geſta ſunt ab Alexandro: ea enim, ſi forte plura, & majora ſunt, aliena certe non eſſe, ſed ſua ipſius, a quo genitus eſt Alexander.

(*e*) Graecum epigramma in Anthologia non reperio; nec tanti eſt, ut diutius quaerendum putem.

(*f*) Theodectes, natus Phaſelide, quod eſt oppidum Pamphiliae, vixit Athenis, & audivit Platonem; claruit inter oratores: idem edidit fabulas L, ac praeterea poema didaſcalicum de arte oratoria: ut non immerito Pieridum munere magnus fuiſſe dicatur. Haec fere Suidas. Pauſanias in Atticis, Theodectis ſepulcrum fuiſſe tradit trans Cephiſſum, non longe ab ara Jovis Melichii.

Tumulus Noſtus . 3. 12 27.

ATtulit hoc virtus tibi Noſto; morte peremtae
Ut praeter tumulum vir daret & lacrimas.

Tumulus Sabini . 3. 1. 19.

SIt lapis hic noſtrae, caput o mihi dulce; Sabine,
Exiguus magnae teſtis amicitiae.
Te mihi nulla dies, tibi me nec frigida Lethe,
Spero equidem; immemori diluet ex animo. (*a*)

Tumulus Praxitelis . 3. 20. 7.

HAec hilares ad buſta date o bona verba; ſalutem
Certatim & multam dicite Praxiteli.
Quippe fuit vateſque bonus, convivaque comis.
Salve o, ſalve iterum; o Andrie Praxiteles.

Tumulus Eucratidae ruſtici . 3. 6. 32.

TErra ſinu Eucratidan mollis precor excipe amico;
Haud oblita ſenis quae tibi contulerit
Multa labos. ut te felicis termite olivae,
Ut ſtirpe ornarit laetifica Bromii,
Frugibus ut denſis; hortum, & pomaria, ducta
Ut tibi per ſulcos ſaepe rigarit aqua.
Pro quibus incano capiti levis eſſe memento,
Et florum e viridi germina funde ſolo.

Ta-

(*a*) Hanc Lethaeo flumini vim ineſſe putabant, ut omnem omnium rerum memoriam prorſus aboleret. Virgil. Ae. 6. *Lethaei ad fluminis undam ſecuros latices, & longa oblivia potant*. Qui quidem latices, ait hic noſter, quantumcunque ad inducendam oblivionem poſſe dicantur, tibi memoriam mei eripere, meamque imaginem tuo animo penitus impreſſam, diluere ac delere non poterunt.

Tumulus Theodori. 1. 37. 4

HEic jaceo Theodorus, & eſt qui gaudeat (*a*): alter
De quo gaudebit: mors ſua quemque manet.

Aliter.

Mortuus heic Theodorus agò: ridete, daturi
Poſtmodo riſum aliis: ſtat ſua cuique dies.

Tumulus naufragi. 3. 22. 55.

CUjus ſim tumulus ne quaere, o nauta (*b*): ſed opta
Sit tibi naviſragi mitior unda maris.

Tumulus in quem nemo adhuc illatus. 3. 6. 4.

ME ſibi (*c*), & uxori Androtion, gnatiſque ſepulcrum
Exſtruxit; ſed adhuc nulli ego ſum tumulus.
O utinam longo maneam ſic tempore, quod ſi
Non pote, qui prior eſt hunc prius accipiam! (*d*)

Tu-

(*a*) Theodorum hunc apparet multis dum viveret inviſum fuiſſe, ac plures inimicos, qui gauderent, quam amicos, qui dolerent de illius morte, reliquiſſe. niſi forte is fuit homo locuples & pecunioſus: ut gaudium non ad inimicos, ſed ad heredes pertineat.

(*b*) Ne videlicet aut navigandi conſilium prorſus abjiciat, aut certe fiat minus alacer ad navigandum, ejus qui naufragium fecerit exemplo perterrefactus.

(*c*) Paſſim in veterum ſepulcris occurrunt illae formulae *vivus fecit*, vel *vivus ſibi poſuit*, vel *ſe vivo fecit*. Plin. l. 6. ep. 10. *Tam rara in amicitia fides, tam parata oblivio mortuorum, ut ipſi nobis debeamus etiam conditoria exſtruere*.

(*d*) Optat ut omnes, qui eo ſunt inferendi, vivant quam diutiſſime, id ſi fieri non poteſt, quod nulla hominis vita diuturna eſt, optat ut ſaltem inferantur eodem ordine, quo nati ſunt; uxor viro, filii parentibus ſuperſtites ſint.

Tumulus ſervi . 3. 13. 6.

SErvus eram vivus, nunc fato functus, ab ullo
Re nulla regum vincor Achaemenidum. (*a*)

Obrutus a latrone . 3. 6. 6.

ABdidit huc me latro; aut ſi tumulum dedit, opto
Sit qui reddat idem pro pietate viro. (*b*)

AGATHIAE.

Tumulus Eugeniae . 3. 12. 31.

FLorentem roſeiſque genis, & carminis arte,
Doctrina ſancti juris & omnigena,
Eugeniam (*c*) heic tellus cohibet: cui vertice funus
Duxerunt raſo, Muſa, Themis, Paphie.

ALCAEI.

Tumulus Heſiodi . 3. 25. 17.

LOcridos in nemore Heſiodi frigentia leto
Membra ſuis Nymphae fontibus abluerunt:
Ac tumulum ſtruxere viro; cui ruſtica pubes
Lac niveum inferias flavaque mella dedit. 1.
Et merito. tam dulce melos de gutture fudit
Pieridum puro potus ab amne ſenex. (*d*) Tu-

(*a*) Perſarum reges Achaemenidae vocantur ab Achaemene gentis principe, ut tradit Plato in Alcibiade I, & Herodotus in lib. 1. qui Clio inſcribitur.

(*b*) Tumulo, id eſt terrae aggeſtae, qua latro caedis occultandae cauſa hominis cadaver contexerat, cippum fortaſſe aliquis addidit, atque hoc carmen inſcripſit.

(*c*) In titulo, qui Graeco epigrammati praefigitur, haec Eugenia ſoror Agathie dicitur; ex quo conſtat eam e Myrina Aeolidis civitate fuiſſe, ac floruiſſe ſub Juſtiniano.

(*d*) De Heſiodi ſepulcro agunt Plutarchus in convivio, & Pauſanias in Boeoticis.

Digitized by Google

Tumulus bellatorum. (a) 3. 5. 22.

HOs, patriae decus aeternum virtute ferentes,
Involvit nigra pallida mors nebula.
Nec rapti periere tamen; quos fama ſuperſtes
Sedibus ereptos vindicat e ſtygiis.

ANACREONTIS

Tumulus Timocriti. 3. 5. 1.

ARmipotens jacet heic Timocritus. Impius ut Mars
Uſque malis parcens prodiget (b) uſque bonos!

Tumulus Agathonis 3. 5. 3.

ABdera impoſitum flammis Agathona ſupremis
Omnis ad exſtructos luxit amica rogos.
Cui ſimilem haud unquam juvenem virtute, cruentus
Armorum ſaevo in turbine Mars rapuit.

ANTIPATRI.

Tumulus naufragi. 3. 22. 73.

NAufragus heic jaceo. quid palles navita? perge;
Quum perii, curſum quot tenuere rates? (c)

Aliter.

Naufragus heic jaceo. tu perge, o navita. puppis
Tum quoque quum perii multa ſecabat aquas.

Tu-

(a) In anthologia hoc epigramma dicitur ſcriptum in eos, qui caeſi ſunt ad Thermopylas: verum aeque convenit in omnes viros fortes, qui in acie ceciderunt.

(b) Diſſimile huic eſt illud Tullii, *Mars ipſe ex acie fortiſſimum quemque pignerari ſolet*: verum utrumque idem ſignificat; in bello fortes mori, ignavos abire incolumes.

(c) Noli, inquit, meo exemplo terreri, ſed illud cogita, eo ipſo tempore, quo ego naufragium feci, multos ex ſententia navigaſſe.

Tumulus Ariſtomenis . 3. 5. 2.

Viator , & *aquila* . (*a*)

V. Alituum regina , Jovis metuenda ſatelles,
Cur tumulo in magni ſidis Ariſtomenis ? (*b*)
A. Hoc doceo: cunctos tam vinci heroas ab illo,
A me quam volucrum vincitur omne genus.
Imbelli timidas par eſt adſtare columbas;
Fortis ego forti laetor adeſſe viro.

Tumulus Ajacis . 3. 14. 7.

Ajacis tumulum Rhoeteo in litore Virtus (*c*)
Ingenti ſervo preſſa dolore animum,
Tonſa comam, ſordenſque artus; quod ſpreta Pelaſgum
In coetu Fraudi ſuccubuiſſe feror.
Ipſa ſed Aeacidae clamaſſent arma: virum nos,
Non artes vafri quaerimus eloquii.

Ae-

(*a*) Cujus ſimulacrum ſepulcro impoſitum erat, vel inſculptum.

(*b*) De Ariſtomene, quem Meſſenii inter heroas coluerunt, agit Pauſanias in Meſſenicis; eumque affirmat unum omnium maxime nomen Meſſeniorum virtute ſua illuſtraſſe, atque a Riano Benoeo ſuis verſibus ornatum eſſe nihilo minus, quam Achillem ab Homero. Addit ſe Meſſenae in eo gymnaſio, quod hierothyſion vocatur, Ariſtomenis ſepulcrum vidiſſe, in quo incolae dicerent condita eſſe illius oſſa, Rhodo, ubi erat mortuus, juſſu Apollinis delata. De aquila in ſepulcro nihil dicit, ſed ait a ſe alibi viſum Ariſtomenis ſcutum, cujus inſigne eſſet aquila.

(*c*) Achillis arma Ulyſſi adjudicata eſſe, Ajax, cujus eximiae virtuti ea debebantur, tam graviter tulit, ut prae moerore inſanierit, ac ſuo ſe gladio confoderit, quemadmodum ſcripſit Homer. Odyſſ. XI. & Sophocles in Aiace

Ha-

Aeſchyli tumulus. 3. 25.28.

EXimio tragicam primus qui carmine Muſam
Ex humili celſum ſuſtulit ad columen, (*a*)
Aeſchylus Actaea jacet heic male pulſus ab urbe,
Atque ſuo decorat Trinacriam tumulo. (*b*)

Tumulus Priami. 3. 14. 14.

HIc Priami tumulus: non quantus debuit eſſe,
Hoſtiles quantum ſed poſuere manus. (*c*)

ANTIPATRI SIDONII.

Tumulus Maronidis. 3. 20. 2.

HAec vetulae ſunt buſta Maronidis; inque ſepulcri
Fronte calyx lato ſculptus ineſt lapidi. (*d*) Quip-

flagellifero, & Ovid. Met. XIII. Itaque non ſine cauſa illius ſepulcro apponitur Virtus dolens ſe victam a Fraude; atque affirmans, Graecorum ſententiam tam iniquam fuiſſe, ut potuerit tacita ipſorum armorum voce refutari; quae ſi rogarentur, cuinam vellent addici, virum fortem, non verſutum oratorem quaeri a ſe propemodum exclamaſſent.

(*a*) Horat. in ep. ad Piſones. *Ignotum tragicae genus inveniſſe Camoenae dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis: quae canerent, agerentque peruncti faecibus ora. Poſt hunc perſonae, pallaeque repertor honeſtae Aeſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis, & docuit, magnumque loqui, nitique cothurno.*

(*b*) Vide initio hujus capitis pag. 103. animadverſiones ad aliud epitaphium ejuſdem Aeſchyli.

(*c*) At alii poetae Priamum ne parvo quidem ſepulcro conditum tradunt. Virg. Ae. 2. 557. *Jacet ingens litore truncus, avulſumque humeris caput, & ſine nomine corpus.* Senec. in Troad. a. 1. 45. *Ille tot regum parens caret ſepulcro Priamus, & flamma indiget, ardente Troja.*

(*d*) Sepulcro hujus vetulae joci cauſa inſculptus eſt calyx, qui

Quippe fuit mulier vinoſa, & garrula. garrit
Nunc etiam quiddam mortua ſub tumulo.
Et queritur, non quod natos aut liquerit orbos,
Natorum aut patrem re miſerum in tenui;
Sed quod Baccho aptus tam magna mole, meraco
Non plenus Baccho ſtet ſuper oſſa calyx.

ARCHIAE.

Tumulus Hectoris. 3. 14. 17.

Viator & tumulus.

V. DIc nomen, patrem, patriamque, & fata ſepulti.
T. Hector Priamides Tros iacer ob patriam. (*a*)

ASCLEPIADAE.

Tumulus Ajacis. 3. 14. 6.

AJacis buſto aſſideo moeſtiſſima Virtus,
Tonſa comam, atque gravi mentem animi penitam
Icta dolore; malam Grajum ſententia Fraudem
Quod mihi contemptae (proh ſcelus!) antetulit. (*b*)

CAL-

---

qui eam bibacem, & ebrioſam fuiſſe indicaret. Paſſim occurrunt in veterum ſepulcris hujuſmodi emblemata. Tullius V. Tuſcul. ait in Archimedis ſepulcro fuiſſe figuram ſphaerae, & cylindri: Laertius in Diogenis ſepulcro fuiſſe canem. Apud Homerum Elpenor orat Ulyſſem, ut ſibi tumulum ornet remo; quo item Miſeni tumulum, addita etiam tuba, ornatum eſſe ab Aenea tradit Virgilius.

(*a*) Haec Archias quatuor verſibus expoſuit, quorum duo priores interrogationem, duo poſteriores reſponſionem continent; neque caruit, ut mihi videtur, laude brevitatis. ego eadem brevius, at non fortaſſe melius.

(*b*) Vide in hoc ipſo capite epitaphium Ajacis ſcriptum ab Antipatro, quaeque ibi ſunt animadverſa.

CALLIMACHI.

Tumulus Timonoes Timothei F. Methymneae. 3. 12. 25.

TImonoe, quaenam es? per divos non ego noſſem,
  Ni pater in tumulo Timotheus, patria
Scripta foret tua ni Methymna, eheu! miſer ut te
  Vir tuus exſtincta nunc dolet Euthymenes!

Tumulus Theridis. 3. 2. 4.

SUm brevis, & tumulus brevis eſt. fabor breve carmen.
  Theris Ariſtaei Cres ſitus heic jaceo.

Tumulus patris ſui. 3. 25. 59.

QUi tumulum hunc praeter graderis, ſcito eſſe parentem
  Me Cyrenaei Callimachi, & ſobolem. (*a*)
Noris, credo, ambos. patriis hic praefuit armis,
  Cantu hic ſupra omnem ſe tulit invidiam.
Nec grave ſit dictu (*b*): placidis quem vidit ocellis
  Muſa favens puerum, non fugit illa ſenem.

(*a*) Quod nomen fuerit huic filio Callimachi ſtrategi, patri Callimachi poetae, me quidem fateor ignorare. Fabricius B. G. l. 3. c. 19. eum Battum vocat idcirco, ut ut opinor, quod Callimachus poeta paſſim Battiades dicitur: ex quo nihil aliud efficitur, niſi illum Batto ortum eſſe, nec ſciri poteſt cjuſne filius, an nepos fuerit. Certe Callimachus ipſe teſte Strabone l. 17. proavum ſuum vocat Battum, a quo condita eſt Cyrene.

(*b*) Ne tantam in re poetica praeſtantiam nimis glorioſe, aut pater, qui loquens inducitur, filio tribuiſſe, aut filius, qui haec ſcripſit, ſibi arrogaſſe dicatur, addit eam neque naturae, neque induſtriae humanae, ſed divino muneri, ac mirificae, qua Muſae interdum erga homines utuntur, benevolentiae adſcribi oportere.

Tumulus Critiae (a) . 3. 6. 22.

CYzicon adveniens (parvus labor) Hippacon, hoſpes,
Et Didymam (clara eſt nam domus) invenias,
Queis, durum dictu, dices tamen; abdier intra
Me, dulcem ipſorum progeniem, Critiam.

Tumulus Charidae . 3, 6. 23.

Viator, tumulus, Charidas.

V. DIc, lapis, anne jacet Charidas heic? T. Dicis Arimnae
Si Cyrenaei progeniem, jacet heic.
V. O Charida, quidnam eſt infra? CH. Nox. V. Exitus ecquis?
CH. Nullus. V. Quid Pluto? CH. Trux, niger (b) V. heu! (perii.
CH. Vera quidem narro; ſin vis jucunda, virenti
Bucephalus gramen carpit in Elyſio.

Tumulus Timonis . 3. 7. 11.

Viator & Timon.

V. LUxne magis, Timon (c), odio fuit, anne tenebrae
Sunt? T. Tenebrae. plures Orcum habitant homines.

Tu-

(a) Tumulus in quo Critias Cyzicenus Hippaci, & Didymae filius eſt conditus, viatorem rogat, ut, ſi forte Cyzicum Myſiae urbem advenerit, inveniat adoleſcentis parentes, quod ait perfacile eſſe propter illorum nobilitatem; eoſque certiores faciat, Critiam eorum ſpem ac delicias, heic abditum jacere.

(b) Malui vocem *μῦθος*, quae fabulam aeque veram ac falſam ſignificat, ſic interpretari, ut Pluto talis dicatur, qualis perhibetur in fabulis, trux, niger, efferus, illacrimabilis.

(c) Timonem hunc, quod hominum congreſſus vitaret, Athenienſes *μισάνθρωπον* vocarunt. Qui tanto in homines odio fuiſſe, tantoque opere ab illorum conſuetudine

A. Timon, nam neque jam es, lucem odisti
anne tenebras?
B. Has odi; nam vestrum hic mage
turba frequens.

Tumulus Nicotelis . 3. 23. 1.

IMplentem vitae nondum tria luſtra Philippus,
Spem (*a*) multam, heic genitor Nicotelen poſuit.

Tumulus Saonis . 3. 1. 10.

HAec habet urna Saona Diconis Acanthion almo
Compoſitum ſomno, morte boni haud pereunt. (*b*)

DAMAGETI.

Tumulus Gyllidis . 3. 5. 30.

O Lacedaemonii, clarum armis, urbe peremtum
Pro Thyrea (*c*) hic Gyllin parvus habet tumulus.
Argivum tria qui quum ſtraſſet corpora leto;
Dignum, ait, hoc Sparta poſt facinus moriar.

H 2 Tu-

dine refugiſſe dicitur, ut ex arbore, in quam conſcenderat, delabſus, fracto crure, computreſcere, atque emori maluerit, quam medicum ad ſe admittere. Vide Suidam, & Lucianum in Timone.

(*a*) Cic. 2. de Fin. 17. *In adoleſcentibus bonam ſpem eſſe dicimus, & magnam indolem*. Idem alibi: *eſt cauſa difficilis laudare puerum, non enim res laudanda, ſed ſpes eſt*.

(*b*) Non modo ſacri, verum etiam profani ſcriptores paſſim docent, mortem bonorum ſomno ſimilem eſſe: illos, quum hinc abeunt, vitam non tam amittere, quam cum alia, multo praeſtantiore, ac beatiore vita commutare. Accedit quod iidem, mortui, vivere tamen quodammodo, atque heic inter homines verſari videntur gloria, & praedicatione rerum, quas in vita praeclare geſſerunt. De quo vitae genere loquutus eſt Parmenio Anthol. 3. 14. 20. in carmine, quod ſic interpretor. *Vivit Alexander, verum ſi dixit Apollo. Vita manet forti poſt ſua fata viro*.

(*c*) Thyre, vel Thyrea, vel Thurea, ut Strabo appellat l. 8.

Patre Dicone Saon sacrum hoc sub marmore somnum
Dormit. Ne dicas morte jacere bonos.

Digitized by Google

Tumulus Menidis & Polynici . 3. 6. 24.

O Bone, ſic faveat tibi Jupiter, ito Charino
Hinc patri ad Thebas (a) nuncius Aeolidas;
Exſtinctum & Menin, Polynicum & dicito: noſque,
Adde, nec interitum flere, nec inſidias,
Servorum dextra caeſos: verum ille ſenectam
Quod duram in miſeris luctibus orbus aget.

DAMASCII.

Tumulus Zoſimae . 3. 13. 3.

SErva prius fueram modo corpore (b) Zoſima: nunc ſum
Expers ipſo etiam corpore ſervitii.

DIODORI.

Tumulus Themiſtoclis . 3. 5. 8.

NE metire virum tumulo, Magneſia (c) tellus,
Magna nec ignora facta Temiſtocleos.

Fore-

l. 8, fuit oppidum Peloponeſi in finibus Argivorum, & Spartanorum. de quo haec Pauſanias in Corinthiacis l. 2. *Ibi Thyrea vicus eſt. quo in loco lectiſſimi viri ex Argivis CCC, totidemque item lecti ex Lacedaemoniis inter ſe pugnaverunt: quumque omnes, praeter Spartanum unum, & Argivos duos occidiſſent, eodem, quo occubuerunt, loco ſunt illis tumuli congeſti.*

(a) Plinius l. 5. c. 3. in deſcriptione ejus regionis, quae olim Myſia, ac deinde Aeolis appellata eſt, Thebas haſce numerat in iis oppidis, quae ſua aetate jam interciderant.

(b) Ait ſe, etiam quum viveret, ſervili conditione, non ſervili animo fuiſſe.

(c) Themiſtocli expulſo ab ingratis civibus tria in Aſia oppida donavit Artaxerſes, Lampſacum, Myuntem, Magne-

Egregii claſſem civis, Salaminaque cerne:
Majorem haud dubites dicere Cecropia.

DIOTIMI.

Tumulus Crinagorae. 3. 5. 9.

TAle nec in ſilvis torvus leo, quale Miconis
Crinagoras clypeum terrifico in ſonitu.
Buſta tenent nunc parva ingentem: parva, ſed armis
Eximios tantum condere ſueta viros.

GERMANICI,

Tumulus Themiſtoclis (a). 3. 5. 5.

VIctrix pro tumulo ſtet Græcia: fracta ſuperſtent
Spicula, barbaricae ſigna cruenta fugae:
Subter Perſarum denſa inter millia Xerſes.
Hoc dium tumulo conde Temiſtoclea.

H 3 Ad-

gneſiam. In hac ille ſibi domicilium conſtituit, atque, ut ſcriptum eſt apud Thucydidem, morbo eſt mortuus: prope hanc eandem ſepultus eſt in eo ſepulcro, quod, ut item ſtatuas in foro Magneſiae, ad ſuam aetatem manſiſſe tradit Cornelius Nepos in ejus vita. De hoc ſepulcro loquitur poëta, ac monet Magneſiam ne ex eo judicium faciat de Themiſtocle: meminerit quae ab illo praeclare geſta ſunt, claſſem cui praefuit vir eximia in patriam caritate, victoriam, quam adeptus eſt apud Salamina. quo loco, ait Nepos, *parvo numero navium maxima poſt hominum memoriam claſſis devicta, unius viri prudentia Graecia liberata eſt*, *Europaeque ſuccubuit Aſia*. Haec ſi cogitet minime dubitaturam, eum non modo illo ſepulcro, ſed etiam ipſis Athenis, ac tota Atticae regione majorem dicere. Victus eſt enim Xerſes magis conſilio Themiſtoclis, quàm armis Athenienſium.

(a) Huc aeque pertinent, quae modo ſunt animadverſa.

Adde mare, ac decorum teſtem Salamina meorum.
Quid parvo condor maximus in tumulo?

GLAUCI.

Tumulus naufragi. 3. 22. 50.

NOn pulvis, parvuſque ſupra lapis (*a*); haec Eraſippi
Sed, quaecunque vides, aequora ſunt tumulus.
Infelix periit, fracta rate. nuda putreſcant
Oſſa ubi nunc, mergus noverit ac fulica. (*b*)

S. GREGORII NAZIANZENI.

Tumulus Amphilochii. (*c*)

HEus oratores, fari licet. hic lapis atro
Ora ſinu magni clauſa premo Amphilochi. (*d*)

Tu-

(*a*) Sepulcrum hoc, quod loquens inducitur, eſt ex eorum genere, quae honoraria, cenotaphia, interdum etiam pſeudotaphia vocantur. Horum multa exempla occurrunt apud antiquos ſcriptores. Apud Homerum Odyſſ. 4. Menelaus, ubi a Proteo de Agamemnonis caede cognovit, ſtatim ei tumulum excitat. Apud Virgilium Ae. l. 3. fit mentio tumuli, quem *viridi de ceſpite inanem* Andromacha Hectori excitaverat. apud eundem. Ae. l. 6. idem officium Aeneas Deiphobo ſe perſolviſſe affirmat. Addo Xenophontem l. 6. exp. Cyri. *His, quorum corpora inventa non ſunt, ſepulcrum inane excitarunt, pyras etiam magnas extruxerunt, coroniſque eas ornarunt.*

(*b*) Propert. l. 3. e. 5. Paetum naufragum alloquens. *ſed tua nunc volucres adſtant ſuper oſſa marinae; nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.*

(*c*) Extat in Anecdotis Graecis editis a Muratorio. an. 1709.

(*d*) Hunc Amphilochum, qui extra carmen Amphilochius dicitur, Diocaeſarenſem Philtatii & Gorgoniae filium,

Tumulus Euphemii Amphilochii F. (*a*)

QUis jacet heic? quo patre? Euphemius, Amphilocho;
Cuius clara inter gloria Cappadocas. (*b*) omnes
Quem Charites Muſis dederunt; Hymenaeus in ipſis
Cui foribus: venit ſed prior Invidia. (*c*)

HEGESIPPI

Tumulus Timonis. 3. 7. 11.

HUnc circa tumulum vepres dumique. Viator,
I procul, & pedibus parce nocere tuis.
Oſor ego ille hominum Timon. (*d*) mihi dira precare
Praeteriens, celeri dum pede praetereas.

Idem brevius CALLIMACHI

Hoc hominum ille oſor Timon ſub ceſpite condor.

lium, ait Gregorius in alio epigrammate, fuiſſe Cappadocum omnium eloquentiſſimum. Itaque, illo mortuo, non ab re tumulus hortatur oratores ad loquendum; quaſi caeteri omnes, illo vivo, propter eximiam hominis eloquentiam prae pudore obmutuiſſent.

(*a*) Exſtat in iiſdem Anecdotis.

(*b*) Euphemius Amphilochii & Liviae filius, quem non hoc uno, ſed multis aliis praeterea carminibus Gregorius ornavit, Graecis Latiniſque litteris ita eruditus fuit, ut utraque lingua egregie poema faceret: verum in ipſo aetatis flore, dum ei nuptiae parabantur, exſtinctus eſt.

(*c*) Quum, inquit, Hymenaeus illi eſſet in foribus, id eſt, quum nuptiae inſtarent; venit prior invidia, id eſt infortunium, quod a profanis ſcriptoribus fatorum invidiae tribui ſolet. Gregorius more uſitato poetarum loqui non dubitavit, propterea, credo, quod vidit iis verbis poſſe ſubjici aliam ſententiam, quae a veritate non abhorreret.

(*d*) Vide quae animadverſa ſunt pag. 114.

Multa precatus abi dira mihi, ſed abi.

HOMERI

Tumulus Midae (*a*). 3. 7. 18.

AEnea virgo Midae tumulo ſto adfixa, viator;
Dumque fluent latices, tellus dum germina fundet,
Dum ſol, dum caelo fulgebit candida luna;
Uſque manens ſupra buſtum lacrimabile, muta
Dicam voce, Midam condi hac ſub mole ſepultum.

ISIDORI AEGEATAE

Tumulus ad bubulcum. 3. 22. 14.

BUſtum eſt hic tumulus (*b*); boves, bubulce,
Suſtine precor, abſtineque aratrum,
Moves nam cineres (*c*). ſolum hocce ſpargi

Non

(*a*) Exſtat hoc epigramma in libello de vita Homeri. quem Tanaquillus Faber, Voſſius, Ionſius, negant eſſe Herodoti Halicarnaſſei. verum argumenta, quibus nituntur, non tanti ſunt ponderis, ut nobis non liceat una cum Jo. Alberto Fabricio B. G. l. 1. c. 1. ſuſtinere aſſenſum, atque, ut in re nondum ſatis comperta, amplius pronunciare. ſed in eo libello haec ſcripta ſunt de Homero. *ut Cumani narrant*, *flagitante ſocero*, *epigramma hoc ſcripſit Midae Phrygum regi Gordii filio*; *quod etiam nunc in Gordii cippo inſcriptum legitur*. Quodnam autem fuerit illud ſignum virginali habitu, neque ibi proditum eſt, neque ego divinare poſſum.

(*b*) Monet bubulcum, tumulum, id eſt eam terrae partem, quae tumet, ac ſe attollit ſupra planitiem, non eſſe profanam, ſed religione ſepulcri conſecratam.

(*c*) Id & per ſe ipſum inhumanum atque impium appa-ret; & legibus etiam ne fieret diligenter cautum erat. Ex-

ſtat

Non fruge, (a) at lacrimis amat, bubulce.

JULIANI

Tumulus Archilochi. 3. 25. 21.

ARchilochus jacet heic; in triſtes egit iambos
Quem dea, ne fieret par tibi, Meonida (b)

LEONIDAE

Crethonis tumulus. 3. 6. 57.

SCriptus ego Crethona (c) ſupra lapis: occubat altis
At Crethon ſubter, jam cinis, in tenebris.

Ille

ſtat Solonis lex, qua cavetur *ne quis ſepulcra deleat*; poenaque eſt, *ſi quis buſtum, aut monumentum, aut columnam violarit, dejecerit, fregerit.*

(a) Tullius de legib. l. 2. *vetat* (Plato) *ex agro culto, eove, qui coli poſſit, ullam partem ſumi ſepulcro; ſed quae natura agri tantumodo efficere poſſit, ut mortuorum corpora ſine detrimento vivorum recipiat, ea potiſſimum ut compleatur; quae autem terra fruges ferre, & ut mater cibos ſuppeditare poſſit, eam ne quis nobis minuat neve vivus, neve mortuus.* Non igitur ſine cauſa locus hic dicitur idoneus, qui ſpargatur potius lacrimis, quam frugibus.

(b) Horatius de Archilocho vere, *Archilochum proprio rabies armavit Iambo*; hic ingenioſe, atque ad poetam ornandum accommodate: Muſam, dum metuit ne Archilochus Homero par evadat, eique adimat laudem principis poetarum, hominem furore inflammatum ad iambos ſcribendos impuliſſe. Quod quum dicit, hoc intelligi vult: Archilochum vinci ab Homero, non quod ingenii ac poeticae facultatis minus habuerit, ſed quod eo carminis genere uſus ſit, quod ad heroici carminis majeſtatem aſſurgere non poſſit.

(c) Hic Crethon, homo tam locuples, quiſnam fuerit, ignoramus. nec enim divitiae, ut vitae commoditatem,

ſic

Ille opibus Gygi quondam par, ille juvencis,
  Ille ovibus dives, caprigeno & pecore,
Ille potens, magnuſque, omnique ex parte beatus,
  Heu terrae glebam vix habet exiguam.

Tumulus Hipponactis. (a) 3. 25. 22.

Hunc tacitus tumulum tranſi, o, quicunque, viator,
  Qui jacet heic crabro (b) ne malus evigilet.
Hipponax, nulli non efferus, heic modo ſomno
  Compoſitus longa deſtitit a rabie.
Sed cave ſis, moneo; tibi conſule. quae jacit atrox
  Dira vel ex Orco dicta nocere querunt.

LEON.

ſic etiam nomini celebritatem afferre poſſunt; iique omnes, qui ex divitum numero clari extiterunt, non propter pecuniae, ſed propter animi in ea deſpicienda, largiendaque magnitudinem laudantur. qua ſi caruiſſent, inquit Theocritus: *poſt fata extrema, ſupremo poſtquam animam gemitu Stygiae infudere carinae, nulla foret tanta de re jucunda voluptas; nudatique opibus magnis per ſaecula ſtrati indecores umbras inter ſine honore jacerent.* Haec ille in Idyllio XVI. quod ego feci Latinum, atque edam fortaſſe propediem una cum aliis Theocriteis.

(a) Plin. l. 36. c. 5. *Hipponacti notabilis foeditas vultus erat. quamobrem imaginem ejus laſcivia jocorum ii* (Bupalus & Antermus) *propoſuere ridendam in circulis. quod Hipponax indignatus, amaritudinem carminum diſtrinxit in tantum, ut credatur aliquibus ad laqueum eos compuliſſe: quod falſum eſt.*

(b) Poeta Hipponactem crabronem appellat, animal, quod & facile irritatur, & irritatum grave vulnus infligit. de quo Plin. l. 11. c. 21. *Crabronum ſilveſtres in arborum cavernis degunt... ictus eorum haud temere ſine febri eſt.*

LEONTII

Tumulus Ajacis. 3. 14. 11.

AJax ad Trojam, poſt tot laudeſque laboreſque,
Haud hoſtem accuſat mortuus, at ſocios. (*a*)

LUCIANI

Tumulus Callimachi pueri. 3. 9. 2.

QUinquennis puer; & curarum neſcius, Orco
Raptus ab immiti, Callimachus perii.
Ne me flete tamen; cui vitae tempora pauca,
Huic etiam vitae pauca fuere mala.

MELEAGRI

Tumulus Auſigenis. 3. 1. 11.

OMniparens tellus (levius tibi nil fuit illo)
Sis precor exiguo non gravis Auſigeni. (*b*)

MNESALCI

Tumulus patriae liberatorum. 3. 5. 15.

HOs, patriae qui colla jugo ſolvere, jacentes
Nigra ſub obſcuro pulvere terra tegit.
Facta virum ſed clara vigent; civeſque ſepulcrum,
Pro patria ut cupiant fata ſubire, monet.

ONE-

(*a*) Immo, ſi verum quaerimus, non tam ſocios, quam ſe ipſum, ſuique animi impotentiam, qui acceptam injuriam tam immodice tulit, ſeque multo foedius, quam ab Ulyſſe, ab ira, & dolore nimio vinci paſſus eſt.

(*b*) Vulgare eſt quod terram levem Auſigeni precatur; illud non vulgare, quod addit, id officium a terra, ſiquidem ingrata eſſe nolit, deberi ei, qui terrae leviſſimus fuerit. quibus verbis indicat non inſulſe, Auſigenem fuiſſe corpore admodum tenui ac puſillo.

ONESTAE

Tumulus naufragi . 3. 22. 54.

TImoclis nomen clamo, ſpectoque nefaſta
Haec pelage (*a*) corpus ſicubi frigidulum
Fluctuet . illum , eheu , piſces hanſere , geroque
Ipſe ſupervacuus nomen inane lapis .

PERSAE

Tumulus Philaenii puellae . 3. 32. 13.

HEu miſeranda jaces Philaenion : optima nec te
Mater in ornatos duxit ovans thalamos ;
Sed tria nondum etiam complentem luſtra , cruentas
Ungue genas lanians , condidit hoc tumulo .

PINYTI

Tumulus ſapphus . 3. 25. 63.

OSſa quidem & nomen Sapphus habet urna : puella
Quae ſapiens cecinit carmina , morte carent . (*b*)

PLA-

(*a*) Hoc quarto caſu numeri multitudinis Graecorum proprio uſus eſt etiam Lucretius l. 5. 36. *Propter Atlanteum litus , pelageque ſevera*, & l. 6. 619. *At pelage multa , & late ſubſtrata videmus .*

(*b*) Sapphus carmina Horatii aetate adhuc vivebant, ac ſpirabant ; quum is ſcriberet l. 4. oda . 9. *Spirat adhuc amor , vivuntque commiſſi calores Aeoliae fidibus puellae* ; at eadem nunc omnia propemodum interiere , ex quo apparet, vel optimorum poetarum carmina , diuturna eſſe , immortalia non eſſe; ſibique, ac ſuis Muſis plus aequo illos tribuere , quum gloriantur, ſe ea ſcribere, *quae mortis ab extrema conditione vacant* .

PLATONIS

Tumulus naufragi . 3. 22. 3.

NAufragus heic jaceo ; contra me ruſticus . Orcus
Telluri ſubſtat , non ſecus ac pelago . (*a*)

SAPPHUS

Tumulus Timadis puellae . 3. 12. 24.

TImadis hic cinis eſt , innuptam in flore juventae
Quam nigro excepit Perſephone thalamo .
Cujus buſta ſuper flavo de vertice tonſam
Aequales cunctae depoſuere comam . (*b*)

SIMONIDIS

Tumulus Nicodici . 3. 1. 18.

QUemque ſua exſtinctum luget domus : obruta fletu
Tota bonum luget patria Nicodicum .

Tumulus Cliſthenis Chii naufragi 3. 22. 69.

OSſa peregrinus pulvis tegit ; at mala Parca ,
Cliſthenes (c) , Euxino te miſerum in pelago
Errantem rapuit ; reduci nec tecta laremque ,
Atque Chii licuit dulce videre ſolum .

PAUL.

(*a*) Homines , inquit , aeque in terra , atque in mari moriuntur : ut mors eorum , qui naufragio pereunt , non illorum confidentiae, ſed humanae conditioni tribuenda ſit.

(*b*) Ritus hujuſce , imponendi capillos ſuper mortui pectus , vel ſepulcrum , exempla paſſim reperies apud antiquos ſcriptores , Propert. l. 3. e. 17. *Illa meo caros donaſſet funere crines* . Ovid. met. 3. de ſororibus Narciſſi : *planxere ſorores Najades , & ſectos fratri impoſuere capillos* .

(*c*) Cliſthenes, Demoſthenes, atque alia hujuſmodi nomina Graecorum in primo caſu habent in ultima ſyllaba e longum , in quinto caſu e breve .

PAULLI SILENTIARII

De Homero in Io inſula ſepulto . 3. 25. 4.

Pieridum ſacer interpres divinus Homerus
Heic ſitus aequoreo conditur in ſcopulo.
Tantum parva virum tegit inſula: (*a*) parce ſed, hoſpes,
Mirari, vatis parce dolere vicem.
Errabunda mari ſic Delos matris ab alvo
Egreſſum excepit parvula Latoiden. (*b*)

Tumulus Sophoclis . 3. 25. 39.

ITe Sophocleum placide ſerpente corymbo
Per tumulum, & vati plectite ſerta, hederae; (*c*)
Vitis & uvidulos circum det laeta racemos,

Undi-

(*a*) Plin. l.4. c. 12. *Ios Homeri ſepulcro veneranda habet longitudinis millia paſſuum XXV.* At *Delos*, ut ſcribit idem in eodem capite, *cingitur quinque millibus paſſuum*: eſt ergo longe minor is locus, in quo natus eſt Apollo, quam is, in quo tumulatus eſt Homerus.

(*b*) Secunda ſyllaba brevi, ut ſaepe Graeci poetae.

(*c*) Hederis,& vitibus Sophoclis ſepulcrum ornari vult, quod & tragici poetae, quorum fabulae Dioniſiis agi, atque inter ſe committi ſolebant, peculiari ratione Baccho addicti eſſe putabantur; & hic prae caeteris eidem Baccho acceptus fuiſſe traditur. quo ea pertinent, quae narrat Plin. l. 7. c. 27. *Sophoclem tragici cothurni principem defunctum ſepeliri Liber pater juſſit, obſidentibus moenia Lacedaemoniis, Lyſandro eorum rege in quiete ſaepius admonito* (id eſt ſomniante ſe admoneri) *ut pateretur humari delicias ſuas. Requiſivit rex, quis ſupremum diem Athenis obiiſſet, nec difficulter ex iis, quem deus ſignificaſſet, intellexit, pacemque funeri dedit.*

Digitized by Google

Undique & e molli ſe roſa (*a*) fundat humo.
Dia viri hoc meruit ſapientia; ſuaviloquenti
Carmine cui Muſas miſcuit & Charitas. (*b*)

Tumulus Archedices. (*c*)

HEic jacet Archedice, quae regum filia, mater,
Nupta, ſoror, faſtu non tamen intumuit.

Tumulus naufragi. 3. 22. 52.

VItae parce, ratem laevo nec tempore ſcande.
Scis vitae quam ſit copia parva viro. (*d*)

Tumulus Orthonis. (*e*)

PAuca Syracoſius te Orthon haec admonet, hoſpes.
Ne qua ito hibernis ebrius in tenebris.

Sic

(*a*) Tum apud Graecos, tum apud Latinos ſepulcra ſolebant coronari, ac ſpargi floribus, maxime roſis.

(*b*) Ineſt in Sophocle ſapientiae ſeveritas cum Muſarum & Gratiarum lepore conjuncta. Qui Sophocleum aliquid legerit utramque laudem facile agnoſcet, nec mirabitur eum vel propter ſuavitatem Atticam apem, ac Sirenem a ſcriptoribus vocitari, vel propter ſapientiam a Tullio, De divinat. l. 1. adjungi philoſophis, ac dici *hominem doctiſſimum*, & *poetam divinum*.

(*c*) Extat in lib. 6. hiſtor. Thucydidis; qui Archedicen a patre Hippia Athenienſibus adhuc dominante, Hippolocho Eantidae tyranni Lampſaceni filio in matrimonium collocatam fuiſſe tradit: atque habuiſſe Lampſaci monumentum, cui erat inſcriptum hoc elogium.

(*d*) Naufragus monet viatorem ut ne temere caput ſuum periculo committat; nec enim eſſe hominibus magnam vitae copiam, ut ejus aliqua jactura ſine pernicie fieri poſſit.

(*e*) Extat in operibus Theocriti poſt Idyllia.

Sic perii; externaque miſer tellure ſepultus
Heic jaceo magna (a) tam procul a patria.

THEOCRITI.

Tumulus Hipponactis. 3. 25. 24.

HIpponax jacet heic poeta. ſi quis
Es malus, moneo, procul recede.
Sin bonus potes & ſedere vatis
In boni, & placide cubare buſto. (b)

THEODORIDAE.

Tumulus Phaenaretes. 3. 12. 57.

TRiſtia Phaenaretes olim haec ad buſta puellae
Theſſalides flavam depoſuere comam,
Et primo exſtinctam partu flevere parentes (c)
Et cives luctu perdidit illa ſuos.

AN-

(a) Tullius Act. 2. in Verr. c. 53. affirmat Syracuſas maximam eſſe Graecarum urbium pulcerrimamque omnium, ac tantam urbem, ut ex quatuor urbibus maximis conſtare dicatur.

(b) Monet malos ut ad Hipponactis ſepulcrum ne accedant, bonos ut nihil ab eo ſibi metuant: malos enim tantum poeta, quum viveret, maledicis carminibus vexavit; quod idem de ſe profitetur, & de illo teſtatur Horatius Epod. 6. *cave, cave: namque in malos aſperrimus parata tollo cornua; qualis Lycambae ſpretus infido gener, aut acer hoſtis Bupalo*. ii ſunt Archilochus, & hic, quo de agimus, Hipponax, acerbiſſimus inſectator Bupali pictoris, quod ejus imaginem ob inſignem foeditatem vulgo ridendam propoſuerat.

(c) Mallem propinquos; ut eam etiam vir, atque omnes cognati & affines fleviſſe dicantur. ſed in Graeco eſt τοκέας

ANTHOLOGICORUM
CAPUT SEXTUM.
EPIGRAMMATA LUGUBRIA

INCERTORUM.

Luctus in morte Orphei. 3. 25. 10.

CAlliopes prolem atque Oeagri, (*a*) morte perem-
Flavae luxerunt Orphea Biſtonides : (tum
Brachiaque effuſo ſparſerunt puncta cruore,
Foedaruntque atro rite comas cinere. (*b*)
Quin, triſtem Phoebo in mediis praeeunte querelam, (*c*)

I Fu-

(*a*) Fabularum ſcriptores magno conſenſu Orpheum Calliopes filium fuiſſe dicunt : in patre non aeque conſentiunt, eumque alii Apolline, alii Oeagro natum affirmant : hi quidem multo plures ; in quibus Apollon. 1. Arg. Plato in Convivio, Lucianus de Aſtrologia.

(*b*) Mos enim erat in carorum funeribus genas, pectora, brachia non ſolum plangendi, ſed etiam lacerandi. qua de re, ut etiam de pulvere capiti inſperſo ad doloris magnitudinem declarandam, vide ſi placet Kirchmannum de Fun. Rom. l. 2. cap. 11. & 12.

(*c*) Cic. De leg. l. 2. *Honoratorum virorum laudes in concione memoranto, easque etiam cantu ad tibicinem profe-*

Digitized by Google

Fuderunt largas Pierides lacrimas;
Et quercus gemuere ipſae, montanaque ſaxa,
Quae blanda vates duxerat ante lyra.

In morte Erinnae (a). 3. 25. 67.

NUper, ſuavidico vernos dum gutture flores,
Gratum & cycneo fundis ab ore melos,
Impulit heu miſeram nigras Acherontis ad undas
Triſtis fatiferae Parca colus domina.
Carmen at, o Erinna, tuum te clamitat Orco
Ereptam, inque choris vivere Pieridum.

Poeta patria excedens. 1. 80. 3.

ME pater o utinam primis docuiſſet ab annis,
Lanigerum in ſolo paſcere monte pecus!
Ipſe meos caſus tenui ſolarer avena,
Aut ulmo aut ſtratus rupe ſub aeria.
Hanc ſedem, haec, Muſae, linquamus moenia (ſi qua
Nos regio externis excipiat laribus),
Quiſquis & occurret clamemus: ſede paterna
Degener ingenuas fucus abegit apes. (b)

Na-

ſequuntor, cui nomen neniae: quo vocabulo etiam Graeci cantus lugubres nominant.

(a) *Erinna Teia, ſeu Lesbia, ſeu Telia (quidam etiam Rhodiam putaverunt) ſcripſit verſu heroico Colum verſibus CCC Aeolica, & Dorica lingua. obiit virgo XIX annos nata. Verſus ejus pares judicati ſunt Homericis.* Haec Suidas: atque addit, eam vixiſſe una cum Sapphone.

(b) Ait ſe atque alios bonos cives, ab improbis, ac fortaſſe advenis patria expulſos: perinde ac ſi apes ingenuae a fu-

Navis a mari in terra perdita, 1. 57. 3.

CONſtructam nuper me ſicco in litore navim,
Necdum etiam ſalſis impoſitam aequoribus,
Invaſitque morae impatiens, fluctuque fremente
Correptam, a ſtabili ſede mare abripuit.
Quid miſeris reſtat jam puppibus; incipit unda
Quas gravis in terra pendere, ut in pelago?

AEMILIANI NICAEENSIS

Navis ſervata vectoribus mortuis (a). 1. 55. 8.

O Utinam triſti veſani gurgitis unda
Menſa forem exanimi puppis onuſta manu!
Eſſe pudet ſalvam. portu quid laeter adepto,
Cui ſupereſt nemo qui miſeram religet
Litore? Cocyti me puppim dicite; nautas
Exſtinxi; in portu, naufraga turba, jacent.

I 2 AGA-

a fucis, ignavo illo pecore, ut Virgilius vocat, alvearibus expellantur. *Sunt autem fuci*, ait Plin. l. 11. c. 11., *velut imperfectae apes, & quaſi ſervitia verarum apium, quamobrem imperant iis* (apes), *primoſque in opera expellunt, tardantes ſine clementia puniunt*.

(a) Apparet hanc navem, vectoribus extinctis aliquo caſu, qui multi cogitari poſſunt, nullus pro certo affirmari, aut remulco pertractam, aut vento in portum delatam fuiſſe. Quae quidem ſe & ſalvam eſſe dolet, & comparat cum ea cymba, qua mortui Cocytum tranſmittere perhibentur. Quod autem eos mortuos, quibus eſt onuſta, turbam naufragam vocat, non eos naufragio periiſſe dicit, ſed aeque periiſſe ac ſi naufragium paſſi eſſent.

AGATHIAE

Trojae querela ad Minervam . 1. 30. 6.

SAlve urbis praeſes Tritonia ; (*a*) templa tenentem
Aurea quam ſacris Ilios uſque colo .
Hoſtibus at praedam tu me , dea , linquis ; ademto
Et tibi pro pomo mi rapis omne decus .
Perdere paſtorem decuit magis . impius ille
Si fuit , ipſius crimen id haud patriae .

De Troja everſa . 1. 70. 2.

TRoja , ubi nam tua ſunt nunc (*b*) moenia ? nunc ubi
Ditia (*c*) ubi ſacro pingue cruore (*d*) ſolum ? (templa

Cy-

(*a*) Notum eſt ex Homero , & Virgilio in arce Trojana fuiſſe templum Palladis , & in eo deae ſimulacrum magna ſuperſtitione cultum . notum item eſt pomum illud in deorum epulo , quum Thetis Peleo nuberet, a Diſcordia projectum , atque a Paride Veneri , poſthabitis Junone ac Pallade , adjudicatum . de quo Hyginus Fab. 92.

(*b*) Troiae moenia ab Apolline, ac Neptuno ſtructa eſſe poetae fabulantur . Ovid. Met. l. XI. loquens de Apolline : *Inde novae primum moliri moenia Trojae Laomedonta videt , ſuſceptaque magna labore creſcere difficili , nec opes expoſcere parvas . Cumque tridentigero tumidi genitore profundi mortalem induitur formam , Phrygioque tyranno aedificat muros .*

(*c*) Magnus templorum numerus in ea urbe fuiſſe legitur ; quam ob cauſam putat Euſtathius Ilium ab Homero *ſacram* vocari . eandem ego ob cauſam puto Ilium a Virgilio *divum domum* appellari .

(*d*) Quam multae ibi victimae quotidie mactari ſolerent docet Homerus Il. 4. 45. ubi Jupiter ait , *ſibi apud Trojanos nunquam aram caruiſſe epulo , & libamine , & nidore .*

Digitized by Google

Cypris ubi, & peregrinus onyx (*a*) atque aurea veſtis?
Mira ubi nam patriae Palladis (*b*) effigies ?
Omnia Mars, fluxuſque annorum, & Parca ſevera
Abſtulit. heu, verſis omnibus, invidia
Fatorum miſeram peſſum dedit: at dare peſſum
Illa tuum nomenque & decus haud potuit.

ALCAEI

Ad Marſyam ſupplicio affectum. I. 11.5.

JAm neque piniferis, ut quondam, in montibus Idae
Carmen multiforo dulce dabis calamo.
Nec manibus tractata tuis, Tritonidos almae
Inventum, laetos fundet arundo ſonos,

I 3 O Sa-

(*a*) Significat unguenta, quae in vaſis ex onyche, ſive alabaſtrite ſervabantur. Unguenta in ſacris Veneris adhibita apparet, ut alios omittam, ex Empedocle haec ſcribente apud Atheneum l. 12. c. 1. *venerabantur reginam Venerem unguentis varie ſpirantibus, ſincerae myrrhae ſuffitu, & thuris ſuaviter olentis, effuſo in pavimentum melle flavo libantes.*

(*b*) Palladium, quod alii de caelo demiſſum, alii ex oſſibus Pelopis confectum, atque a Scythis venditum Trojanis, memoriae prodiderunt, fatale putabatur, atque ejuſmodi, ut ab hoſtibus capi non poſſet urbs, in qua id eſſet. Itaque diu a Trojanis diligenter in arce ſervatum eſt, atque habitum inter deos patrios, eos videlicet in quorum tutela patria erat, quorumque cultus a patribus, quaſi per manus traditus, ad poſteros pervenerat.

(*c*) Ovid. Met. l. 6. *Satyri reminiſcitur alter, quem Tritoniaca Latous arundine victum affecit poena. Quid me mihi detrabis, inquit? Ah piget; ah non eſt, clamabat, tibia tanti,*

O Satyre infelix , nymphae genus . heu , tibi nexas
Impediunt capto vincula dura manus !
Heu , tibi par Phoebi citharae tua fiſtula dulcis
Illa , loco palmae , funera dura dedit !

ANTIPATRI

Nucis querela . 1. 20. 1.

NUx ego juncta viae ; ludo gliſcente , frequentes
Quam pueri ſaxis , turba proterva , petunt .
Jam frondes , lapidum ſaeva jam grandine,quotquot
Sunt nova ramorum germina , fracta cadunt .
At foecunda feror . praeſtat ſterileſcere (*a*) , multo
Quam ditem foetu haec non patienda pati .

Delus (*b*) *de ſe ipſa* . 1. 58. 1.

O Utinam inſtabili ventis jactarer in unda .
Latonae ob partus cur mihi ſtare datum eſt ?
Non me vaſtam adeo nunc flerem . ſpreta quot eheu

Prae-

ti . Clamanti cutis eſt ſummos direpta per artus ; nec quidquam niſi vulnus erat ; cruor undique manat , detectique patent nervi , trepidaeque ſine ulla pelle micant venae : ſalientia viſcera poſſes & pellucentes numerare in pectore fibras .

(*a*) Mallem dixiſſet , praeſtare pati haec omnia , quam ſterilem eſſe . hoc certe animo vir bonus eſſe debet , ut malit omnia perpeti , quam non prodeſſe reipublicae .

(*b*) Terra , ut eſt in fabulis , rogatu Iunonis , Latonam expletis menſibus partui proximam , nulla in regione conſiſtere , atque in lucem edere Apollinem ac Dianam patiebatur . Longum deae laborem Delos miſerata eſt , eique humaniter exceptae ſedem praebuit , in qua pareret . Hanc inſulam idcirco , ut eſt apud Virgilium Ae. l.3., *pius*

Praetereor Grajum puppibus! heu miſera!
Heu Delos deſerta! olim clara, incluta! Iuno
Latonae poenam hanc horribilem impoſuit.

De Aretimiade mortua, altero e geminis una extincto, altero ſuperſtite. 3. 12. 55.

INfernam puppim linquens Aretimias, atram
Cocyti ripam quum pede jam premeret,
Exſtinctumque ſuis puerum geſtaret in ulnis,
Conſpectam innuptae Dorides altiſono
Excepere omnes fletu. quibus illa, madentes
Ungue genas lanians, reddidit haec: geminos,
Heu geminos peperi: ſupera in regione relictus
Ille viro; hunc imis manibus ipſa fero.

Niobe Stygiam paludem tranſmiſſura. 3. 7. 4.

ACcipe cum gnatis me ſolam, qui vehis umbras,
Portitor. una tibi ſarcina Tantalidos
Magna ſat eſt. gnatoſque & gnatas adſpice. turba
Haec Phoebi jacuit ſtrata manu, haec Triviae (a)

pius arcitenens oras & litora circum errantem Gyaro e celſa Myconeque revinxit, immotamque coli dedit, & contemnere ventos. Eandem conſtat fuiſſe crebris Graecorum conventibus celebratam, ac nobilem ob aerarium commune totius Graeciae, ex quo ad bellum contra barbaros gerendum pecuniae depromebantur. verum, ut ſunt res humanae, ſuas poſtremo vices perpeſſa eſt. cujus rei exſtat luculentum teſtimonium apud Pauſaniam in Arcadicis. *Delos, forum olim commune Graecorum, tantopere jam deſerta eſt, ut praeſidio templi amoto, quod Athenienſes mittunt, incolis prorſus orbata ſit.*

(a) Vide Ovid. Met. l. VI. 5. 6. 7.

Ad Orpheum mortuum . 3. 25. 8.

ORpheu, non ſilvas poſthac, non ſaxa, ferarum
Duces maternis nec genus omne modis.
Non fremitum ſiſtes ventorum, & grandinis atrae,
Atque nivis lapſus, & mare fluctiſonum.
Stratus morte jaces. tua fleruut funera Muſae.
Ante omnes flevit Calliopea parens.
Quid faciunt noſtrae gnatorum in morte querelae?
Diis genitos fletus non juvat ipſe Deum.

De puero ab apibus interempto . 1. 37. 11.

HErmonacta malae puerum ſtraviſtis acerbo
Funere apes, veſtros dum petit ille favos.
Straviſtis male compunctum, mala monſtra. Draconum
Et quiſquam ſaevas culpat adhuc latebras?
Credite Lyſidicaeque & Amyntori (*a*): ne quis & ipſas
Laudet apes. ipſis virus ineſt apibus.

De Cleonice demerſa in Helleſponto . 1. 55 7.

FOemineo generi ſemper gravis Helleſponti eſt
Unda. Cleonicen adſpice Dyrrhachiden;
Quae Seſtum rate dum vehitur nuptura, novavit
Infelix Helles fatum Athamantiados. (*b*)
Tu ſponſum (*c*) miſeranda Hero; ſua gaudia, ſponſam
Dei-

(*a*) Parentibus videlicet pueri, qui quanta ſit apum acerbitas, quam letale venenum, in filii morte didicerunt.
(*b*) Quae de ariete illo aureo, cui una cum Phryxo fratre inſidebat, delabſa in eodem freto interiit; eique ſua morte nomen fecit Helleſponto.
(*c*) Leandrum Abydenum.

Deimachus paucis perdidit in ſtadiis. (*a*)

De Mycenis dirutis. 1. 70. 10.

Heroum patriae nuſquam; vel ſi qua relicta eſt,
Vix ſummo apparet ſemiſepulta ſolo.
Qualem praeteriens nuper, miſeranda Mycene, (*b*)
Te vidi, ſolis rupibus aſſimilem,
Foedum haedile. Senex forte obvius: urbs, ait, olim
Aurea (*c*) Cyclopum ſtructa manu heic ſteterat.

Nereidum ſimulacra relicta, Corintho diruta. 1. 70. 13.

Illa ubi nunc abiit praeſtans tua forma, Corinthe?
Nunc ubi opes priſcae ac moenia turrigera?
Templa ubi magna deum, & regalia tecta, nuruſque
Syſiphiae, & denſi millia tot populi.
Nulla tui reſtant veſtigia. tot bona diris
Omnia ſunt belli fluctibus hauſta ſimul.

So-

(*a*) Vocat illud fretum pauca ſtadia. abeſt enim Sextus Abydo, ut ajunt Herodotus, Plinius, Solinus, ſtadia ſeptem; ut Xenophon, non plura quam octo id eſt mille paſſus, quos Plutarchus octo ſtadiis prope aequales eſſe dicit.

(*b*) Pauſanias in Corinthiacis. *Mycenas Argivi malevola quadam aemulatione ducti everterunt: quod, ipſis ceſſantibus, ea civitas octoginta homines ad Thermopylas miſiſſet, qui Lacedaemoniis praeclari facinoris ſocii fuere. Ille igitur praereptae quaſi gloriae dolor, Argivos ut Mycenas exſcinderent ſolicitavit. Reſtant tamen ambitus partes quaedam, & porta una, cui leones inſiſtunt. Cyclopum vero, & haec opera eſſe ajunt.*

(*c*) Auro abundaſſe Mycenae intelliguntur vel ex iis, quae de domo Menelai ſcribit Homerus Odyſſ. l. 4. in qua domo auri, electri, argenti, eboris copiam admiratur, eamque, cum Jovis Olympo comparat.

Solae intactae hoſti Nereides Oceaninae
  Horrendi caſus manſimus alcyones. (a)

ANTIPHANIS.

De navi & paſtore. 1. 55. 5.

EVerſam pelago puppim conſpexit ab acta
  Jactari fluctu paſtor in horriſono;
Injecitque manum cupiens ſervare; ſed illum
  Saeva ratis fluctus abſtulit in medios,
Nactus ubi miſer eſt letum. heu ratis impia (b), portus
  Quam propter viduos cernimus, & nemora!

AN-

(a) Strabo Geogr. l. 8. *Corinthii quum Philippo parerent . . . ita Romanos deſpexere, ut quidam in legatos eorum praetereuntes auſi ſint coenum defundere* (Livius & Aſconius eos etiam pulſatos: Cicero minuens rem more oratorio tantum appellatos ſuperbius eſſe dicit) *cujus peccati atque aliorum flagitiorum mox poenas dedere. miſſo enim a Romanis juſto exercitu, Corinthus a L. Mummio eſt everſa*. Addit Strabo, a Polybio, ea quae in Corinthi everſione acciderunt deplorante, commemorari militarem contemtum artificiorum, ac donariorum. Mummium ſigna, & tabulas, quibus Corinthus abundabat partim Romam miſiſſe, partim, ut erat rei militaris, quam artium ſtudioſior, vicinis civitatibus dilargitum eſſe. Id quum faceret, equidem ſuſpicor Nympharum aliquod ſacellum, & ſimulacra intacta manſiſſe. quae a poeta inducuntur more alcyonum, marinarum volucrum Ceicis caſum plorantium, urbis everſae calamitatem lamentantes.

(b) Impiam vocat, quod eadem & portus & nemora viduarit, id eſt orbarit. portus videlicet nautis, qui illa everſa perierunt; nemora paſtore, qui ab eadem abreptus etiam ipſe interiit.

ANTIPHILI.

In morte Agricolae. 1. 37. 22.

Viator & Fons.

V. FOns, tua quo fugiens dilabſa eſt lympha? quid undis
Tot factum? quonam eſt uſtus ab igne liquor?
F. In lacrimas abii totus, quodcunque liquoris
Mi fuit, omne hauſit jam cinis Agricolae. (a)

ANTONII ARGIVI.

In Argos dirutum. 1. 70. 23.

ARgos caeleſtis quondam arx pulcerrima Perſei, (b)
Aſtrum (c) unde Iliadis fatiferum emicuit,
Paſtorum ſtatio deſerta atque avia, feras
Nunc Priami poenas manibus exſoluo.

APOL-

(a) Loquitur fortaſſe de Cn. Julio Agricola. huius certe mortem ſcribit Tacitus in ejus Vita, multis mortalibus, domeſticis, amicis, notis, ignotis moerori fuiſſe.

(b) Argos vocat arcem Perſei id eſt urbem in cujus arce Perſeus Jovis & Danaes filius eſt natus. Perſeum porro caeleſtem appellat, propterea quod inter ſidera, ut poetae fabulantur, eſt relatus.

(c) Significat, opinor, Diomedem, de quo ſunt illa Homeri Il. l. 5. paullo poſt initium, a me olim converſa atque edita poſt Echo Bernardi Zamagnae. *Atque illi clypeuſque ingens umbone rubentem e medio, ſummoque ardens in vertice caſſis aerea fundebat flammam, ſub nocte ſerena ceu rubet Oceani lotus canis aeſtifer unda, ſanguineam jactans ingrato ſidere lucem. Sic humeros, ſic ille caput fulgore coruſcat horrifico.*

APOLLONIDAE.

De Ariſtomene naufrago diebus Alcyoniis . 1. 55. 10.

DIc mare, qua non ſis metuendum luce! diebus
Ergo etiam moeſti flebimus Alcyonum? (*a*)
Alcyonum; tacita pontus quum ſternitur aura,
Creditur atque ipſo tutior unda ſolo.
Tempore in hoc, jactas quo te nil mitius eſſe,
Cum puppi miſer eſt merſus Ariſtomenes.

BASSI.

De claſſe Graecorum fracta ad Caphareum. 1. 55. 11.

PUppibus o malefida Capharea ſaxa, ubi tota
Fracta redux muris claſſis ab Iliacis!
Quum triſti nigris fax triſtior illa tenebris
Igne arſit: caecos omnis at in ſcopulos
Acta eſt praecipiti curſu ratis; orta decennī
Et Danais clades dura labore magis.
Nam Trojam vicere; at non te Nauplie. tota
Uni victa tibi Graecia congemuit. (*b*)

CAL-

(*a*) Dies Alcyonios plerique docent eſſe quatuordecim; ſeptem ante brumam, quae incidit in ante diem XIII. Kal. Januarias, alios ſeptem poſt brumam. De horum dierum tranquillitate, ac navigatione minime periculoſa haec habet Ovid. Met. l. XI. *Perque dies placidos hiberno tempore ſeptem incubat Alcyone pendentibus aequore nidis. Tum via tuta maris, ventos cuſtodit, & arcet Aeolus egreſſu, praeſtatque nepotibus aequor.* nepotes vocat pullos Alcyones Aeoli filiae.

(*b*) Triumphalis illa Graecorum claſſis a Trojana expeditione domum rediens fracta eſt ad Caphareum Eubeae pro-

CALLIMACHI.

Ad Heraclitum mortuum . 3. 33. 37.

HEraclite (*a*), tua eſt mihi mors audita, meiſque
Largae fluxerunt ex oculis lacrimae.
Nam memini quoties longo ſermone jociſque
Condidimus ſoles · verſus at in cinerem es
Nunc tu, hoſpes; tantum divina volumina, Ditis
Fugerunt avidas, quae tibi ſcripta, manus.

Tumulus Charmidis . 3. 6. 58.

CUi nota eſt vitae ſors craſtina? luce valentem
Heſterna qui te vidimus, en tumulo
Condimus hoc flentes, Charmi. heu! heu! vidit acerbum
Nil magis in vita te pater hac Diophon.

DIO-

---

promontorium vi tempeſtatis a Minerva excitatae. quae ut ait Virg. Ae. l. 1. *unius ob noxam & furias Ajacis Oilei, ipſa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem, disjecitque rates, evertitque aequora ventis*: In ea tempeſtate *quum Graeci deorum fidem implorarent*, inquit Hyginus fab. 116., *Nauplius audivit, ſenſitque tempus veniſſe ad perſequendas filii ſui Palamedis injurias. Itaque, tanquam auxilium iis afferret, facem ardentem eo loco extulit, quo ſaxa acuta, & aditus perieuloſiſſimus erat. Illi credentes humanitatis cauſa id factum, naves eo deduxerunt; quo facto plurimae earum confractae ſunt, militeſque plurimi cum ducibus tempeſtate occiſi . . . ſi qui autem potuerunt ad terram natare a Nauplio interficiebantur*. Rem totam Prop. l. 4. e. 1. breviter indicavit. *Nauplius ultores ſub noctem porrigit ignes; & natat exſuviis Graecia preſſa ſuis*.

(*a*) Heraclitus hic non eſt ille philoſophus Epheſius triſtis ac ſeverus humanarum calamitatum plorator; ſed poeta Halicarnaſſeus homo urbanus ac facetus.

DIOSCORIDIS.

Lycambae filiae de ſe, & de Archilocho. 3. 12. 15.

JUramus quidquid ſacrum tellure ſub ima eſt,
Fabula quas laedit foeda, Lycambiades:
Nos neque virgineum facto dictove pudorem,
Nec genus, & patriam dedecoraſſe Paron.
In noſtram ſed dicta domum furialia mendax
Evomuit diris verſibus Archilochus. (a)

DIOTIMI.

De Therimacho fulmine icto. 3. 27. 1.

SEpta petunt pavidae ſolo de monte juvencae
Sponte ſua, ſparſae terga caputque nive:
Therimachus dum ſub quaercu, ſomno velut alto
Obrutus, aetherio ſtratus ab igne jacet.

ERYCII.

Ad Therimachum fulmine ictum. 3. 27. 2.

HEu heu, infelix, jam nec meditabere celſa
Dulcia ſub platano carmina, Therimache;
Nec ſtrati umbroſa ſub quercu errantia vocem
Armenta arrectis auribus excipient.
Heu! Jovis igne jaces domitus; ſparſaeque nivali
Imbre domum ſera nocte boves redeunt.

ISI-

(a) Archilochus poeta Parius a Lycambe cive ſuo, qui ei filiam deſponderat, ſpretus, tanta carminum obſcoenitate ac maledicentia in totam ejus domum eſt perbacchatus, ut patrem una cum filiabus ad laqueum compulerit.

ISIDORI AEGEATAE.

De Nicophemo in navi ſiti enecto. 3. 22. 18.

NOn hiems gravis, & cadens Orion
Merſerunt ſale Nicophemon Afro
Omni ſed male deſtitutus aura
In puppi miſer eſt ſiti peremtus.
Ventorum hoc etiam eſt opus. frementes
Nautis fata ferunt, ferunt ſilentes.

LEONIDAE.

De Erinna mortua. 3. 25. 68.

MOre apis eximios inter volitare poetas
Adſuetam, & flores carpere Caſtalios,
Erinnam Pluton rapuit ſibi. vera puellae
Vox fuit: *o Pluton, invidus es nimium.*

LEONTII.

Equus olim nobilis molae alligatus. 1. 33. 25.

ILle ego Piſeae merui qui praemia palmae,
Ille ego, Caſtaliam (*b*) bis prope victor aquam,
Ille

(*a*) In ejus, inquit, morte perſpectum eſt, quam vere olim ſcripſerit in quodam carmine de Plutone: eum eſſe nimis invidum; qui videlicet tam doctam puellam diutius apud ſuperos verſari non ſit paſſus, atque inviderit Graeciae poetriam, cujus CCC illi verſus, quibus ſcripſit Colum in primo aetatis flore, quum viceſimum annum nondum attigiſſet, teſte Suida, judicati ſunt pares Homericis.

(*b*) Ait ſe viciſſe Olympia, Pythia (nam Caſtalia, ut docet ſcholiaſtes Pindari, eſt fons Pythonis, ex qua urbe ludi Pythii nominantur), Nemeaea, Iſthmia. quae quatuor certamina magno apparatu, magnoque hominum ex tota

Ille ego jam Nemea, bimari jam clarus in Iſthmo,
Ille ruens volucri par Zephyro ſonipes;
Nunc, poſtquam ſenui, viden' ut verſatile in orbem
Saxum hoc, palmarum dedecus, hoſpes, ago?

ONESTAE

Mater orba. 1. 37. 10.

HOc flammae impoſito gnatorum, hoc fluctibus hauſto,
Una ſimul fletu delicui gemino,
In luctus heu ſciſſa duos, partitaque bina
Aeque igni & ſaevis pignora mater aquis.

PHILIPPI

De Damide in mari Icario demerſo. 1. 55. 9.

NIcerati proles Damis, dum trajicit aequor
Icarium, pronus decidit in pelagus.
Fudit multa, deoſque orans, pontumque frementem
Obteſtans, moeſto pectore vota pater,
At juvenem fluctus hauſerunt. Scilicet illa
Audierat patrias unda nec ante preces. (a)

De

tota Graecia concurſu celebrabantur. De his certaminibus eſt primum epigramma Anthologiae ſcriptum ab Archia, quod ſic verto. *Quatuor indictis celebrat ſolemnia ludis Graecia; bina deis, bina dicata viris: nempe Jovi, Phoeboque, Palaemonique Archemoroque. Victor mala refert, pinum, oleaſtrum, apium.*

(a) Non eſt, inquit, mirum inanes, atque irritas fuiſſe Nicerati preces, id mare pro filii ſalute obſecrantis, quod jam olim patrias preces repudiarat. eas nimirum, quibus Daedalus eſt uſus, quum videret Icarum filium in eoſdem fluctus decidendem, qui & Icarii ab ejus nomine ſunt appellati. Vide Ovid. Met. l. 8.

De Ariſtodice orbata liberis. 1. 37. 9.

CLara fuit matrum in coetu, ſenoque beata
  Formoſae partu prolis Ariſtodice.
Sed ternam tellus miſerae, ternam abſtulit unda,
  Haec morbo, haec fluctu navifrago, ſobolem.
Ergo flet ſemper; quoties & cernitur, uda
  Atque genas largis atque ſinum lacrimis,
Aut ad buſta ſedet, longum plorans Philomela;
  Aut maria increpitat, flebiiis Alcyone (*a*).

Philaenii querela de morte liberorum. 1. 37. 8.

FUnereo tantum foecunda Philaenion igni,
  Prolis ubi vidi tertia buſta meae,
Matre alia natum quaeſivi, nempe futurum
  Vitalem ſperans non mihi progenitum.
Sed neque ſuffecta me longum prole potiri,
  Atque frui adſcito pignore, Parca tulit.
Occidit infelix, meus eſt qui dictus (*b*); at ipſa
  Coepi aliis etiam matribus eſſe dolor.

(*a*) Ariſtodicen mulierem miſerrimam orbatam ſex filiis, quorum tres morbo extinctos ſepelierat, tres naufragio perditos fruſtra quaeſierat, eorum mortem aſſidue modo ad buſta, modo in litore plorantem, Philomelae, atque Alcyoni comparat, quarum avium utraque in poetis ſuorum mortem lugere dicitur; atque altera in agris Ityn in terra abſumtum; altera in litore Ceycem mari hauſtum dies noctesque lamentari. De utraque agit Ovid. Met. l. VI., & l. XI.

(*b*) Is, quem alebam pro meo, mortuus eſt hanc unam ob cauſam, quod meus eſſe dicebatur.

STATILLII FLACCI

Hecubae querela (a) 1.32.1.

CAede Polyxenia triſtes atrox hymenaeos
Dum patri, celſo conficit in tumulo
Pyrrhus; regalem cano de vertice vellens
Moeſta comam, queſtus edidit hos Hecuba:
Raptaſti vivus quondam Hectora, ſaeve; furoris
Nunc cruor exſtincto funditur Hectoreae,
Aeacida, huic utero quid tantum iraſcere? prolem
Cur & adhuc vexas, umbra cruenta, meam?

THEOCRITI

De capella a lupo devorata (b)

THyrſi, abiit (triſtes quid proſunt jam tibi luctus?
Uda quid heu feris lumina lacrimulis?)
Illa Orci ad ſedes abiit formoſa capella,
Quam lupus hirſutis implicuit pedibus.
Multa canes latrant: abiit tamen illa: nec oſſa,
Ipſi de tota nec ſuperant cineres.

AN.

(a) Quum Danai, capto Ilio atque direpto, in patriam diſceſſuri, praedam ſortirentur, ex tumulo, quem Achilli non ita pridem magno terrae aggeſtu coacervarant, ejuſdem vox audita eſſe dicitur, ſibi, de re Graecorum tam bene merito, praedae partem aliquam poſtulantis. Illi ſtatuerunt, nihil ex omni praeda ei acceptius futurum Polyxena Priami & Hecubae filia, quam olim conſpectam in moenibus adamarat; cujuſque aut videndae aut ducendae cauſa, quum in Apollinis Thymbraei templum veniſſet, a Paride, ac Deiphobo fuerat interemtus. Hanc igitur Pyrrhus ad patrios cineres pompa ſolemni adduxit, ſuaque ipſe manu immolavit. Haec partim ex Hygino fab. CX. partim ex aliis.

(b) Extat in Theocriti carminibus poſt Idyllia.

Digitized by Google

ANTHOLOGICORUM
CAPUT SEPTIMUM.
EPIGRAMMATA LUDICRA

INCERTORUM.

De lethargico & phrenetico. 1. 45. 1.

Lethargo hic preſſus, male concitus ille phreneſi,
  Uno eodemque ſimul decubuere toro.
Et, quem non poterant artes ſuccique medentum
  Mire alter morbum depulit alterius.
Namque furens lecto exſiluit, ſenſuque carenti
  Membra dolat multis omnia verberibus.
Sic plagae huic ſomnum pepulerunt; multus at illi
  Abjecit ſomno corpora feſſa labor.

In hominem immani naſo. 2. 13. 25.

Hermogenis video naſum adventare, Menippe;
  Longe jam nec abeſt, ut reor, Hermogenes.
Ipſe quoque adveniet, maneas modo: naſus, ut ajunt,
  Ad ſummum quinis ora praeit ſtadiis.
Mole vide is quanta procedit! ſcandere collem
  Ni piget, ipſum etiam videris Hermogenem.

Digitized by Google

Amoris triplex remedium. 1. 27. 13.

DUra fames aliis laſcivum ſedat amorem;
Idem aliis longa tollitur, Aule, die.
Harum ubi veſano res neutra medetur amanti,
Aut nihil aut ſolus jam ſupereſt laqueus. (*a*)

De imbelli conviciatore. 1. 5. 22.

AJacis tumulo ſuperadſtitit exiguus Phryx,
In magnum jaciens probra pudenda ducem. (*b*)
Maeoniumque orſus carmen, cantabat ad auras:
AJAX VIM PULSUS NON TULIT HECTOREAM.
Ille imo e tumulo fremitum dedit: ocyor aura
Phryx fugit, vivus nec tulit exanimum.

Al

(*a*) Laert. in vita Crateris Thebani. *Fertur ejus & illud. 'Amorem ſedat fames, ſin minus, tempus; iis vero ſi uti non vales, laqueus*. Haec Crates, non ille quidem docens quod remedium amori poſtremo adhiberi oporteat, ſed hoc ſignificans: qui amore ita ſit implicatus, ut ei nec egeſtas, nec temporis diuturnitas mederi poſſit, hujus ſalutem eſſe deſperandam, nec quidquam aliud a tanta inſania exſpectandum, niſi ut ſuſpendio amori finem imponat.

(*b*) Philoſtratus in primo heroicorum dialogo ſcribit, narrari a quibuſdam, Phrygios paſtores, quum eorum pecus aegrotaret, ad Ajacis tumulum conveniſſe, atque alium alia maledicta in eum congeſſiſſe. Fuiſſe in his qui Homericos verſus. libr. XV. quorum initium eſt Αἴας δ' οὐκ ἔτι μίμνεν *Ajax non amplius ſuſtinuit*, canere coeperit. Ajacem horrenda voce ex tumulo clamaſſe, *ſuſtinui* &c. Quae fabella aut deſumta eſt ex hoc epigrammate, aut ejus ſcribendi occaſionem poetae praebuit. Eſt certe utilis adverſus eos, qui magnis ac praeſtantibus viris, contra quos vivos hiſcere non auderent, mortuis maledicunt.

Ad Cynaegirum de Grammatico. 2. 10. 12.

INfelix, Cynegire, in vivis, inque ſepultis!
Aut lacer es verbis, aut lacer es gladiis:
Ante manus (*a*) cecidit pugnanti abſciſſa; quieto
Nunc tibi grammaticus ſuſtulit ecce pedem. (*b*)

De Venere & Pallade. 4: 12. 22.

VIdit ut armatam Venerem Tritonia: viſne
Sic certare, Venus, mecum, ait? illa deae
Subridens: quid opus clypeos attollere? inermis
Quae vinco, (*c*) vincar ſcilicet arma gerens?

De Iove & Amore. 1. 7. 2.

TEla adimam tibi cuncta, Deum pater inquit Amori.
Quid, ſi iterum cycnum te faciam? inquit Amor (*d*)

AGA-

(*a*) Heordot. in l.6. qui inſcribitur Erato. *Quo in praelio . . . Cynaegirus Euphorionis F. dum ſummam puppim apprehendit, abſciſſa bipenni manus cecidit.*

(*b*) Grammatici, qui agunt de metris, & poetae, qui illis utuntur, ex Cynaegiro faciunt Cynegirum, mutato *ae* in *e*. qua mutatione fit, ut ei pes, vel potius pars pedis abſcindatur; id eſt uno tempore minuatur. Hoc, ut arbitror, ſignificat poeta. niſi forte irridet grammaticum aliquem, quod in hiſtoria foede ſit lapſus, ac dixerit, non ſolum manum, ſed etiam pedem abſciſſum eſſe Cynaegiro.

(*c*) Ait, ſe inermem vincere ſolitam, illud videlicet judicium ſignificans, quo a Paride pulcrior quam Pallas judicata eſt. Vide Hyg. fab.92.

(*d*) Quid, inquit, ſi tibi ego iſtam, qua nunc es, tam amplam tamque auguſtam principis deorum formam eripuero, teque iterum in cycnum, paluſtrem avem, convertero, quinam facere poteris iſta quae minitaris?

AGATHIAE

Ad perdicem a fele interemtam. 3. 24. 2.

AEriis, perdix, deducta e rupibus, eheu!
Jam neque vimineae ſepta domus habitas;
Nec, roſeis Aurora genis quum fulſit ab ortu,
Purpureos alas concutis ad radios.
Saeva tibi feles caput abſtulit; & tua malis
(Pro ſcelus) ambedit caetera membra avidis.
Hunc manibus nunc ipſe meis de ceſpite vivo,
Si quid id eſt, miſerae compoſui tumulum:
Et tibi, terra, precor, non ſit levis, (a) at gravis, ut ne
Eruat illa tuas improba reliquias.

De fele quae perdicem peremit. 3. 24. 3.

Perdicem feles avido quae dente peremit,
In noſtra ſperat vivere ſalva domo.
Non ego te raptam, perdix, ſine munere linquam.
Hoſtis at enſe rapax ad tua buſta cadet.
Quippe doles, donec faciam tibi, qualia fecit
Pyrrhus (b) Achilleum ſacra ſuper tumulum. AM-

(a) Mortuis terram levem optare ſolebant. hic non ſine cauſa gravem optat, ne illae ipſae quae ſuperfuerunt, perdicis reliquiae a fele eruantur atque abſumantur. Contrarium eſt illud in Learchum Anth. 2.43.1. *Sit tibi terra levis. miſerande Learche! reperta ut citius poſſint eruere oſſa canes.*

(b) Pyrrhus in Achillis patris ſui tumulo Polyxenam Priami filiam mactavit; fortiſſimoque viro, interemto a Trojanis, Trojano ſanguine parentavit. Poeta ſe idem officium perdici perſoluturum eſſe pollicetur, ac riſum quaerit ex rerum longiſſime diſjunctarum inter ſe comparatione, perdicis cum Achille, felis cum Polyxena.

AMMIANI

In hominem naſo immani . 2. 13. 11.

NEc dextra Proclus potis eſt emungere naſum,
Quod naſo dextra eſt dimidio brevior.
Nec quum ſternutat: *Serva*, inquit *Jupiter* (*a*); audit
Quod nihil; a naſo tam procul auris abeſt.

ANTIPATRI.

Mercurius de ſe & Hercule. 1. 38. 3.

HErma ego, paſtores, facilis deus, aut mihi lactis,
Aut querni (*b*) mellis vilia dona peto.
Placari Alcides vult ſanguine; ſemper & agnum,
Vervecemve, aliquid vel petit eximium.
Verum arcere lupos fertur. quid denique refert, (*c*)
Sitne gregi cuſtos, an lupus exitio?

(*a*) Qui ſternutabant, Jovem ſibi invocare ſolebant, ut ex hoc loco apparet, qui ſternutantibus aderant, eoſdem ſalvere jubebant Petron. c. 5. 8. *Giton ter continuo ita ſternutavit, ut grabatum concuteret, ad quem motum Eumolpus converſus ſalvere Gitona jubet*. Cauſas hujus conſuetudinis Caelius Rodiginus Antiq. lect. XXXIV. 27. ait fuiſſe tres, religioſam, medicinalem, auguralem; quas vide apud eundem, ſi tantum eſt otii.

(*b*) Mel *quernum* appellat, propterea quod quercus apibus ſedem praebere ſolent. itaque Heſiodus Operum & dierum l. 1. ait quercum ſummam ferre glandes, mediam apes.

(*c*) Quid, inquit, refert, quo modo grex peſſum eat, luporum ne rapinis, an ſacris Herculis, qui ſe illius cuſtodem profitetur? aeque magnum eſt damnum ſive a lupis, ſive ab hujuſmodi luporum depulſore oves abſumantur.

Pocula (a) Piſoni a Theogene donata . 1. 46. 3.

HAec duo Theogenes tibi , Piſo , pocula mittit ,
Omnia ubi caeli ſidera ineſſe vides .
Sphaeram etenim ex aequo partimur ; ſignaque habemus,
Hoc Auſtri , hoc Boreae queis micat alta domus .
Tu ſolas ne quaere arctos ; ſed , potus utrinque ,
Diſpice mundi omnem ſiderei faciem .

De lembo, cui nomen ſalutari . 2. 41. 4.

CInna ſalutari ponti ſecat aequora lembo ,
In quo ſervari vix queat ipſa Salus .
Nomine deceptus quem qui ſcandit , mora nulla ,
Ad terram , ſedes vel natat ad Stygias.

ARCHIAE

De equo nobili ad molam alligato . 1. 33. 13.

ALipedum toties fulſit qui primus equorum
Nexaque purpureis membra tulit phaleris,
Delphica cui pulcrae conceſſit dona coronae
Pytho (b) , pinnigeris adſimili alitibus ;

Et

(a) Duo pocula (his enim ſermo tribuitur) ajunt , ſe a Theogene mitti Piſoni. ita porro eſſe confecta, ut utrumque ſeorſum habeat figuram dimidiae ſphaerae ; alterum gerat inſcripta ſigna borealia , alterum auſtralia . hortantur poſtremo ſalſe ac facete , ne, quod nautae faciunt, polo arctico ſit contentus , negligat antarcticum , ſed , utroque hemiſphaerio aeque utens in potu , omnem caeli ſpeciem contempletur .

(b) A Pythone urbe Phocidis , quae eadem eſt ac Delphi ; a Nemea , quae eſt ſilva Achajae , ubi Hercules horrendum illum leonem interfecit ; a Piſa , quae eſt urbs Eli-

Et Nemea horrendi nutrix nemoroſa leonis,
Et Piſa, & gemina qui ſonat Iſthmus aqua:
Nunc, heu, colla jugo preſſus, Cerealia dona
Scabro tarda means uſque terit lapide,
Herculeum nactus fatum. captivus & ille
Triſte jugum (*a*) tot poſt fortia facta tulit.

ARGENTARII.

De lagena fracta (*b*). 1. 55. 12.

Potores inter vini modo fracta lagena es,
Toto diffundens ex utero Bromium.
Horrendum ſtridens venit lapis: ille Dionis,
Fulmen ut intortum, non Jovis, e manibus.
Te fiſſa, inſonuit plauſu domus, atque cachinnis;
Et jocus eſt ortus, laetifici & fremitus.
Et merito: nam quis te ploret, prodiit unde
Bacchus, paſſam eadem, quae tulit & Semele?

AU-

Elidis, vel eadem ac Olympia, vel Olympiae proxima, hunc equum coronatum eſſe dicit: id eſt, viciſſe Pythia, Nemeaea, Olympia, Iſthmia.

(*a*) Hoc jugum, quod Hercules tuliſſe dicitur, quale fuerit, intelligitur ex iis, quae Deianira ſcribit ad Herculem apud Ovidium. *Fama Pelaſgiadas ſubito pervenit ad urbes decolor, & factis inficianda tuis: quem numquam Juno ſerieſque immenſa laborum fregerit, huic Iolen impoſuiſſe jugum.*

(*b*) Non inſulſe jocatur in lagenam, quam vino plenam Dion quidam ebrius lapide conjecto diffregerat: eamque illo ictu inter adſtantium riſus ac iocos vinum effundentem comparat Semelae fulmine tactae, Bacchum parienti. Semelae partum narrat Hyginus fab. 179.

AUTOMEDONTIS.

De felicitate jocus. 1. 15. 6.

ANte alios felix (*a*), alieno liber ab aere,
Dein expers thalami, poſtea prole carens.
Nec male habet ſe res; grandi vix dote ſoluta,
Uxorem ſi quis condiderit tumulo.
Haec tibi tu ſapias (*b*): Epicurum quaerere laeva
Mente ſinas fruſtra, quid vacuum & monades.

GERMANICI.

Lepus a cane marino correptus. 1. 33. 8.

TErreſtris fugi ora canis lepus: arripit ecce
Unus me illorum, quos habet unda, canis.
O lepores, caelum jam ſcandite. ſed male tutum
Id quoque, habent quando ſidera & ipſa canem. (*c*)

JU-

(*a*) Omiſſa diſputationum ſubtilitate docet paucis verbis, falſo ille quidem, at non illepide, quinam homines feliciſſimi habendi ſint.

(*b*) Tu, inquit, harum rerum, quae ad vitae utilitatem referuntur, cognitione ſapiens eſto: ſine interea Epicurus ludat operam in atomorum & vacui perveſtigatione, quibus ille duobus omnem rerum ſummam conſtare affirmat. Vide Lucretium l. 1. 420., & Tullium de Finib. l. 1. c. 6.

(*c*) Quod caeleſtem canem leporum generi metuendum eſſe dixit, non ſolam nominis ſimilitudinem eſt ſequutus (eſſet id ineptum ſane ac frigidum) ſed eà reſpexit, quae de cane illo venatico Procrin ac Cephalum venantes comitante, ac poſtremo propter eximiam pedum pernicitatem in caelum ſublato, in poetarum fabulis traduntur. Vide Hyginum de ſign. cael. l. 2. & Ovid. Met. VII.

JULIANI

Ad Icarum cereum, balneo ſuperſtantem. 4. 8. 22.

I Care, cera olim te perdidit: ecce, refectus
Qualis eras, cera vivis in hac iterum.
Verum alas, moneo; cohibe; ne balnea nobis,
Te lapſo, incipiant dicier Icaria. (*a*)

LEONIDAE

In malum pictorem. 2. 19. 2.

E St tibi Deucalion Phaethonque, Meneſtrate, pictus,
Et quo ſit pretio dignus uterque rogas.
Cenſebo (*b*) propriis utrumque, Meneſtrate. dignus
Undis Deucalion (*c*), ignibus eſt Phaethon.

In malum pictorem. 2. 19. 1.

M Enodotum pinxit Diodorus tam bene, nuſquam
Menodoto ut quiſquam ſit mage diſſimilis. *Ali-*

(*a*) Mare Icarium non deſunt qui ab Icaria inſula nomen habuiſſe dicant; alii ab Icari caſu ita vocatum eſſe tradunt. in his Ovid. Triſt. l. 1. 2. *Dum petit infirmis nimium ſublimia pennis Icarus, Icariis nomina fecit aquis.* Ad hanc fabulam reſpiciens poeta monet Icarum, ut immotùs maneat in ea baſi, in qua eſt poſitus, ne, cera liqueſcente, ut olim in mare, ita nunc in balneum decidat: atque illi quoque, ut mari, nomen faciat Icario.

(*b*) Cenſere eſt ſtatuere quanti pretii res ſit. Cic. in Paradoxo ultimo 61. *Si cenſenda nobis, atque aeſtimanda res, utrum pluris aeſtimabimus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat, an continentiam Fabricii, qui datam repudiabat?*

(*c*) De Deucalione agit Ovidius Met. l. 1. de Phaethonte l. 2. quorum alter ex aquis vix eſt ſervatus, alter inter flammas, quibus orbem terrarum incenderat, etiam ipſe periit. horum igitur imagines ait poeta dignas eſſe, alteram quae aqua deleatur, alteram quae igni cremetur.

Aliter.

Menodotum pinxit Diodorus; pulcra & imago,
Praeter Menodotum, cuilibet eſt ſimilis.

Mercurius de ſe, & Hercule. 1. 38. 4.

AUdi, quiſquis iter carpis, ſeu proxima rura,
Urbis vicinae moenia ſive petis.
Heic duo dii ſtamus, cuſtodes finibus ambo,
Hermes, quemque vides, Amphitryoniades.
Ambo aucti dapibus nuper ſumus: at pyra ſumſit (a)
Hic ſibi pulcra, mihi foeda & amara dedit.
Sic uvam eſt itidem partitus: mitia legit
Cuncta ſibi, appoſuit dura & acerba mihi.
Non placet hic ſocius. qui munera portat (b) utrique,
Nolo jam quidquam ponat utrique ſimul;
Sed litem ſolvat; dicatque: haec largior, Herme,
Dona tibi ſeorſum, haec Amphitryoniadae.

Ve-

(a) In fine quinti verſus & initio ſexti legitur ἀλλὰ ποθ' αυτυς' ἀυτῶ nulla ſententia, vel certe inepta. ego, paucis literis mutatis, optima ſententia, atque ut mihi videtur, prorſus neceſſaria, ſic lego; ἀλλ' ἄπι αὐτὸς αὐτῷ, ... ut Hercules dicatur pyra inſitiva ſibi devoraſſe, pyra ſilveſtria Mercurio appoſuiſſe.

(b) Solebant enim deos, praediorum cuſtodes, eorum, quos perceperant, fructuum primitiis munerari. Horat. in Epod 2. *Ut gaudet inſitiva decerpens pyra, certantem & uvam purpurae; qua muneretur te, Priape, & te, pater Silvane, tutor finium.* & Tibullus l. 1. e 1. *& quodcumque mihi pomum novus educat annus, libatum agricolae ponitur ante deo.*

Venus inermis apud Spartanos . 1. 38. 7.

EUrotas dixit Veneri ; Venus , arma capeſſe,
Cede vel e Spartae finibus armigerae .
Cui dea ſic , blando ſubridens ore ; nec arma
Tractabo , & Sparta ſemper ero in media .
Hinc & inermis adhuc Venus eſt , & falſa loquuntur
Armatam nobis qui perhibent Venerem . (*a*)

In Cupidinem turcum . 1. 27. 4.

TUre ſagittiferum quis pingui finxit Amorem ,
Ipſum qui gaudet laedere ſaepe Jovem ?
Jam malus excipiet Vulcania tela , dabitque ,
Dignus ut eſt , poenas ignibus in mediis ,

Sera fercula . 2. 47. 4.

PInguia ne ſaturo , poſtquam eſt jam coena peracta,
Fercula , nec varias tot mihi pone dapes ,
Nec pluvias optat quum vexit in horrea meſſes
Agricola , in portu navita nec Zephyros .

(*a*) Equidem vereor , ne hic potius ,qui alios falſi inſimulat , falſa loquatur . plures enim Venerem apud Spartanos armatam fuiſſe confirmant . Plutarchus quidem fabellam etiam refert huic Leonideae prorſus contrariam in commentariolo de Fortuna Romanorum : *Spartani , inquit , Venerem perhibent , ubi tranſit Eurotam , ſpeculis , monilibus, ceſto, depoſitis, Lycurgo ſe ornantem , haſtam , & clypeum ſumſiſſe* . Idem in Apophthegmatis Laconicis: *Venerem colunt armatam , omneſque Deos mares , ac foeminas haſtas geſtantes faciunt , eaque re indicant , neminem bellicae virtutis expertem eſſe* .

LUCIANI

De Priapo vineae cuſtode . 4. 12. 90.

Vinea , cuſtodem cui ponis , Ruſe , Priapum ,
Iſta decem vites vix habet aridulas .
Ut veniat ſi fur , quod poſſit ſcilicet , ipſum
Praeter cuſtodem , tollere , nil habeat .

In curſorem tardum eundemque voracem . 2. 1. 12.

Currere qui lentus , veſcique celerrimus idem es ;
Te pede jam veſci , currere dente velim .

In Apin pugilem . 2. 1. 13.

Hunc pugiles Apin grati poſuere , quod uſque
Pugnans ſe cunctis praebuit innocuum . (a)

LUCILLII.

In hominem perquam puſillum . 2. 32. 12.

Ex atomis rerum hanc ſummam conſtare (b) Epicurus
Scripſit , dum credit nil minus eſſe atomis.

Ex

(a) Haec ſtatuae dedicatio quam turpis ſit huic Apidi nemo non videt . Corinthii quidem , ut ait Ariſtoteles Rhetor. l. 1. ſe contumelia affectos a Simonide poeta putaverunt , quod ita cecinisset:*Corinthios Ilium non incuſat*. Quid hic?quem concertatores non modo non incuſant , ſed etiam ſtatua dignum judicant , atque addunt cauſam, quod in tot certaminibus nemini unquam nocuerit . quibus verbis hominis innocentiam laudare videntur , re autem vera hoc dicunt:eo nihil eſſe aut inertius , qui toties pugnans nullam cuiquam plagam infligere potuerit, aut dementius, qui , talis quum eſſet , tam ſaepe pugnarit .

(b) Tullius de finib. l. 1. c. 6. *Ille* (Democritus , quem ſequutus eſt Epicurus) *atomos quas appellat , id eſt corpora*

Ex te ſcripſiſſet, ſi tum, Diophante, fuiſſes.
Ipſis nam minor es tu, Diophante, atomis.
Aut certe ex atomis ſcripſiſſe caetera rerum
Conſtare, aſt ipſas ex Diophanto atomos.

In male parvum. 2. 32. 13.

FOrmicae impoſitus Micro haud ſecus ac Elephanto,
Corruit infelix in caput inque humeros.
Mulcatuſque idem male calcibus: invida fata!
Clamabat: periit ſic etiam Phaethon. (*a*)

In male parvum, & macilentum. 2. 32. 20.

RHetor ut Adraſtus formicae terga volucris
Preſſit eques, tumido haec pectore verba dedit:
Auras carpito: habes, o Pegaſe, Bellerophonta, (*b*)
Heroem macie mirifica eximium.

De agello Menophanis. 2. 7. 3.

MEnophanis tam parvus ager fuit, ex aliena
Eſuriens quercu necteret ut laqueum:
Nec tellure ſua condi poſt funera quiret,

Vi-

---

pora individua propter ſoliditatem, cenſet.. ita ferri ut concurſionibus inter ſe cohaereſcant, ex quo efficiantur ea, quae ſint, quaeque cernantur, omnia.

(*a*) Ovid. Met. l. 2. *At Phaethon, rutilos flamma populante capillos, volvitur in praeceps, longoque per aera tractu fertur: ut interdum de caelo ſtella ſereno, etſi non cecidit, potuit cecidiſſe videri*. Cum tali caſu quam ridicule hujus puſionis caſus comparetur, nemo non videt.

(*b*) Bellerophontem Pegaſo equo alato invectum Chimaeram domuiſſe tradunt mythologi. cui poeta, riſum quaerens, comparat hunc rhetorem, in quo nihil erat eximium ac mirificum, praeter maciem.

Vicini fuerit pars at emenda ſoli,
Quem ſi quando agrum vidiſſet forte Epicurus,
Omnia plena agris diceret, haud atomis, (*a*)

Ad Dionyſium de Simeone medico . 2. 22. 4.

SI quis erit, Dionyſi, hoſtis tibi, nolo precere
Illi unquam iratos Iſin & Harpocraten,
Quos caecare ferunt: medicum at Simeona. Canopi (*b*)
Noſces quid poſſint numina, quid Simeon.

De bono ac malo poeta . 2. 40. 10.

OPtimus eſt vatum, coena qui dives opima
Hos large paſcit, carmina queis recitat.
At qui jejunis recitat, precor, Aule, furores
In caput inſanos vertat ut ille ſuum. (*c*)

De

(*a*) Jocatur in agellum Menophanis, eumque praeter omnem modum extenuat, atque ipſis illis atomis, ſive corporibus individuis, quibus, inani interjecto, Epicurus omnia plena eſſe docet, minorem eſſe affirmat. Huic ſimile eſt epigramma, quod M. Tullio Ciceroni tribuitur, eſt autem fortaſſe Tullii Laureae, ut opinatur Voſſius in Etymol. verbo Fundus. *Fundum Varro vocat, quem poſſis mittere funda, ni tamen exciderit, qua cava funda patet*.

(*b*) Addidi Canopi, ne ſi indefinite numina diceret, etiam verum numen compleċti videretur.

(*c*) Hic facete; Horatius vere, in epiſtola ad Piſones: *Tu ſeu donaris, ſeu quid donare voles cui, nolito ad verſus tibi factos ducere plenum laetitiae. clamabit enim pulcre, bene, recte; palleſcet ſuper his; etiam ſtillabit amicis ex oculis rorem, ſaliet, tundet pede terram*.

De equo pigerrimo . 2. 23, 1.

THeſſalus eſt equus iſte tuus, Calliſtrate, ſed quem
Totius haud moveant pharmaca Theſſaliae.
Ligneus eſt vere; Scaea (*a*) intra limina cuncti
Quem non traxiſſent cum Phrygibus Danai,
Quin tu ergo hunc votum ſtatuis cuicunque deorum è
Hordea ne pereant, fac pueris ptiſanam (*b*).

De equo macilento, 2. 23. 2.

PActus equum, caudam mihi Olympius attulit, ex qua
Languens, enecto corpore, pendet equus.

In curſorem paraſitum . 2. 31. 4.

IN ſtadio Eutychides piger eſt, Diotime: vocato
Ad coenam; dices, jam volat Eutychides.

MACEDONII.

Omen de morte uxoris irritum . 1. 19. 5.

STernueram juxta tumulum, laetuſque putaram
Portendi uxoris funera certa meae (*c*),

L Ster-

(*a*) Scaeae portae ſaepe fit mentio apud Homerum, & alios. quod nomen, ſi Graecum eſt, ut eſſe videtur, ſiniſtram ſignificat: ſed Strabo l. 13. putat Thracium eſſe. alt enim: *multa apud Troes & Thraces iiſdem nominibus appellantur, ut Scaei Thraces quidam, & Scaeus amnis & Scaeus murus, & Scaeae Trojanae portae*.

(*b*) Plin. l. 18. c. 7. *Panem ex hordeo, antiquis uſitatum, vita damnavit, quadrupedumque tradidit refectibus. ptiſanae inde uſus validiſſimus ſaluberrimuſque tantopere probatur, unum laudibus ejus volumen dicavit Hippocrates*.

(*c*) Sternutamento plerumque laetum aliquem eventum ſigni-

Sternueram fruſtra in ventos: valet illa vigetque,
Nec morbos hilum, funera nec metuit.

NICARCHI.

De tribus ſurdis. 2. 30. 1.

INtendit litem ſurdo male ſurdus, at illis
Judex multo etiam ſurdior obtigerat.
Quorum hic: conductas pretium mihi ſolvat ob aedes:
Hic: tota nunquam liqui ego nocte molam.
At judex: quid opus verbis? non mater utrique eſt?
Ambo illam, quod lex imperat aequa, alite.

NILI.

In Satyrum e lapillis coagmentatum. 4. 12. 101.

Viator, & Satyrus.

V. ESſe ſcio Satyros riſores: dic tamen, iſtum,
Quem rides, riſum quae tibi cauſa movet?
S. Ipſum

ſignificari veteres Graeci, ac Latini putavere. cujus rei exſtant non pauca indicia in Homero, Xenophonte, Ariſtotele, Theocrito, Tullio, Catullo, Propertio. Itaque Macedonius quoque, quum ſternuiſſet, laetum aliquid ſibi portendi exiſtimavit; & quoniam non longe aberat a tumulo, ſtatuit, id quod portendebatur, nihil eſſe aliud, quam mortem uxoris: verum, eam valentem vigentemque videns, dolet id ſternutamentum fruſtra fuiſſe.

(a) In hoc judicio ſane ridiculo aedium locator petit pecuniam debitam a conductore: conductor nihil audiens, quaſi criminis alicujus inſimuletur, reſpondet, ſe tota nocte domi in piſtrino ad molam fuiſſe. judex neutrum audit, ac putat eos de matre alenda inter ſe litigare. itaque reſpondet: aequum eſſe, ut, quae utrique mater ſit, ab utroque, ut lex jubet, alatur.

8. Ipſum me ridens miror; coeunte (a) lapillo,
Quo factus pacto ſim ſubito Satyrus.

PALLADAE.

In mulieres. 1. 19. 2.

QUaliſcunque nocet, magno ſi credis Homero,
Seu mala ſit mores foemina, ſive bona.
Tyndaris Argolicas, Phrygiaſque inceſta phalanges;
Perdit (b) caſta ſuos Penelopea procos.

De grammatica & uxore. 2. 10. 5.

GRammaticam, uxoremque piget perferre patique,
Implexam hanc, lites hanc ſerere indomitam.
Utraque vel Parca multo mihi tetrior ipſa eſt.
Grammatica ſed me vix tamen exſolui.
Andromacha poſſum nullo me exſolvere pacto.
Obſtant nam tabulae juraque Romulidum. (c)

(a) Opere teſſellato, ſive, ut vocant, muſivo.

(b) Atqui illi flagitioſiſſimi homines, non a Penelopes caſtimonia, ſed a ſua ipſorum nequitia perditi, malum, quo digni erant, nacti ſunt. eorum mortis Penelope occaſionem non voluntariam, quod omni culpa, & reprehenſione vacat, ipſi, atque illa tot in aliena domo, Penelope invita, atque, ut inſanire deſinerent, fruſtra obſecrante, perpetrata facinora, cauſam praebuerunt. Itaque in hoc epigrammate leporem agnoſco, veritatem deſidero.

(c) Exſtat in codice Theodoſiano Conſtantini Magni conſtitutio de repudiis. *Placet non licere maritis per quaſcumque occaſiones uxores ſuas dimittere... Si repudium mittent, haec tria crimina inquiri conveniet, ſi moecham, vel medicamentariam, vel conciliatricem repudiare voluerit.* *nam*

Jocus in grammaticum. 1. 37. 15.

GRammatico muliebre genus ſimul atque virile
Natum eſt ; ſed celeri funere mors rapuit
Utrumque , egreditur dum vitae in lumina . natum
Et neutrum genus eſt ſic tibi , grammatice . (*a*)

De ave inflata ſibi dono miſſa. 2. 17. 5.

UTrem ventorum , donum admirabile , Ulyſſes
Accepit (*b*) rupes vectus ad Aeolias .
At meus hic multo ventoſior Aeolus , auris
Mi plenam tumido corpore miſit avem.
Aligeros habeas tibi ventos flabraque , amice .
Auris non veſcor , quae ſtomachum excrucient.

PHI-

nam, ſi ab his criminibus liberam ejecerit , omnem dotem reſtituere debet , & aliam non ducere . Itaque Palladae per leges non licebat ſe exſolvere uxore, moroſa illa quidem & litigioſa , ſed nullius tamen ſceleris , vel flagitii convicta.

(*a*) Grammatico nati ſunt filius , ac filia , iique in ipſo ortu exſtincti . Poeta dicacitate quadam amarulenta , neque omnino inſulſa, ut mihi videtur, hominem irridens in trium generum tractatione aſſidue occupatum , & fortaſſe in rei leviſſimae ſcientia , ut ſolet ea natio , plus aequo ſibi placentem , gratulatur , quaſi lucrum fecerit morte filiorum. qui ſi viverent, duo illi tantummodo genera , virile ac muliebre , nata eſſent ; nunc, quoniam ſint exſtincti, factum eſſe ait, ut etiam tertium genus, neutrum, illi naſceretur , partu plane digno patre grammatico . Huc facit illud Auſonii de Rufo . *Rufus vocatus rhetor olim ad nuptias, celebri ſit ut convivio, grammaticae ut artis ſe peritum oſtenderet , haec vota dixit nuptiis : et maſculini , & foeminini gignite , generiſque neutri filios* .

(*b*) Homer. Odyſſ. l. 10. 20.

Digitized by Google

PHILIPPI.

Viator, & Mercurius horti cuſtos .4. 12. 41.

V. PAullum oleris licet hinc Cyllenie ? M.Parce , viator .
V. Invidia eſt olerum? M.Nulla quidem invidia eſt ;
Verum aliena vetat lex tangere . V. Mirum ! aliena
Tangi lege nova Mercurius (*a*) prohibet !

SPEUSIPPI.

De Democrito mortuo. 3. 33. 9.

PErſephone , expertes riſu , dea , quae regis umbras ,
Ridentem bona , ſis, accipe Democritum .
Et tua , te amiſſa , miſere quum moeſta doleret ,
Dicitur a riſu (*b*) flexa fuiſſe parens.

(*a*) Quem nemo neſcit furaciſſimum , ac furum deum eſſe habitum , eum jure indignatur furta vetandi , ac fures coercendi munus ſibi arrogare . Simile eſt illud Juvenalis Sat. 2. *Loripedem rectus derideat , Aethiopem albus . Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes ? Quis caelum terris non miſceat , & mare caelo , ſi fur diſpliceat Verri , homicida Miloni ; Clodius accuſet moechos , Catilina Cethegum ; In tabulam Syllae ſi dicant diſcipuli tres ?*

(*b*) Clem. Alex. in Cohortat. ad Gentes c. 2. narrat proditum eſſe in fabulis , Cererem in illo ſuo errore , & conquiſitione filiae , quam amiſerat , in Eleuſinum pagum veniſſe . ibi ei hoſpitio exceptae Baubonem mulierculam cinnum (Graeci appellant cyneona) propinaſſe . qua potione Dea , quum propter moerorem uti nollet , Baubo rem moleſte ferens , ſeque contemtam putans , ea indecore fecit , quorum adſpectu Ceres riſiſſe dicitur , ac ſedato paullisper dolore , praebitam potionem ebibiſſe ,

ANTHOLOGICORUM
CAPUT OCTAVUM.
EPIGRAMMATA VARIA

INCERTORUM.

De racemo nondum maturo a vite avulſo. 1. 2. 2.

Quis temere hunc pulcra Bacchi de vite racemum,
 Nondum etiam excoctum ſolibus, abripuit?
Atque ubi guſtavit, ſucco praeſtrictus acerbo,
 Abjectum, irata mente, reliquit humi?
Perde virum exitio (*a*) quo Thracem, Bacche, Lycurgum.
Quip-

(*a*) Non convenit inter Mythologos de poena qua affectus eſt Lycurgus. Homerus Il. 6. ſcriptum reliquit, eum, quod Bacchi nutrices fugarat, ipſumque Bacchum perterrefactum in mare compulerat, in iram deorum incurriſſe, atque a Jove excaecatum eſſe. Apollodorus l. 3. eum quod Bacchum contumelia affecerat, furore divinitus objecto, Dryantem filium bipenni interfeciſſe, quum ſe putaret vitis palmitem amputare: itaque captum a ſuis, atque in vincula conjectum, poſtremo ab equis laniatum interiiſſe. Hyginus fab. 132. eum in Rhodope Thraciae monte a
Bac-

Quippe bonae exſtinxit ſemina laetitiae;
Unde aliquis poterat ſuccendi ad carmina, triſtes
Sollicito aut curas diluere ex animo.

De Archilocho (a) ad Cerberum. 3. 25. 19.

Ostia Tartarei, ſi quando, nigra barathri
Serva nunc triplici pervigil ore canis.
Ne, dulcis vitae fugere ut lumina, pulſae
Archilochi horrenda voce, Lycambiades;
Umbrarum ſic turba, malis exterrita iambis,
Seſe aliquo Stygiis proruat e domibus.

Pinus vento eruta in navim adacta. 1. 57. 7.

Quae ſolis jacui proſtrata in montibus ingens
Pinus nimboſi turbine victa noti,
En agor (humanum quid non genus audeat?) altum,
Major ubi venti vis furit, in pelagus;
Objectorque hoſti, qui me ferus eruit olim.
Triſte nec augurium corda pavore quatit?

Pinus vento dejecta ad nautas. 1. 57. 6.

Fracta notis jaceo pinus: ne pellite in aequor
Ventos paſſam ipſo in litore navifragos.

Baccho pantheris objectum fuiſſe, quum ſibi alterum pedem excidiſſet pro vite. Quidquid horum Lycurgo accidiſſe dicatur, nimis magna poena hic poeta non magnam culpam vult expiari. Rectius Plato, qui Legum lib. VIII. jubet, ut qui uvas immaturas carpſerit, aliquid Libero patri ſolvat, propterea quod fructum inde provenientem interceperit; ſervus vero, quia pecuniam non habet, patiatur verbera.

(a) Vide quae animadverſa ſunt pag. 103. & pag. 121.

Ad Pana . 1. 68. 5.

O Pan aureolas labro percurre cicutas,
Grataque paſcenti carmina funde gregi:
Ut niveo pingues turgentia lacte capellae
Ubera ſub Clymeni tecta beata ferant;
Et capro, de more tuam quum ſtabit ad aram,
Largus ab hirſuto pectore ſanguis eat.

Ad Therſipotidem . 3. 23. 28.

HAnc tibi pro thalamo, pro ſperatis hymenaeis,
Buſta ſuper genitrix marmoream poſuit
Effigiem, quae te vultuque habituque referret,
Therſipoti, ut fato functa, loquare (*a*) tamen.

ANACREONTIS.

Puellae Baccho dona ferentes . 4. 5 5.

HAec thyrſum geſtans, Heliconias; ad latus illi
Xantippe; Glauce quae ſubit inde comes.
De monte adveniunt, & Bacchi ad templa puellae
Uuas, haedum, hederas, munera grata, ferunt. (*b*)

AN-

(*a*) Tibi, inquit, Therſipoti, in ipſo aetatis flore, antequam nuberes, morte ſublatae, talis a matre ſtatua eſt poſita, ut in ea non modo tui ſimilitudo ineſſe, ſed tu ipſa ſpirare, ac loqui videaris.

(*b*) Inſcriptum eſt fortaſſe hoc epigramma donario, quod Baccho obtulerunt puellae, quarum heic fit mentio. Hae de monte advenire dicuntur; bacchantes enim in agros evolare, ibique omnem inſaniam exercere ſolebant. Hinc illa apud Plautum: *Evoe, Euie, Bromie, quo me in ſilvam venatum vocas*? & apud Virgilium de Latinis mulieribus: *inſultant thyaſis nemora ardua*.

ANTIPATRI.

Munus natalitium . 1. 30. 1.

PIſoni magno , munus natale (*a*) , libellum
  Dat , quem nocte una condidit , Antipater .
O utinam accipiatque libens , laudetque poetam ;
  Ture ut placatus Jupiter exiguo !

ANTIPHILI.

In torrentem . 1. 73. 1.

QUid torrens tam dira fremis , tumidusque ſuperbo
  Amne meum gaudes rumpere ſaevus iter ?
Imbre tumes (*b*) , iſtam debes & nubibus undam ,
  Quae ruit iratis turbida Naiaſin .
Ingruet at tumido ſol (*c*) , ingruet . edocet ille
  Quis propria , externa quis fluat amnis ope .

AN-

(*a*) Cenſorinus item de die natali c. 1. Q. Cerellium alloquens : *quodcunque* , inquit , *hoc libri eſt meis opibus comparatum ; natalitii titulo tibi miſi* . Lucianus quoque libellum de iis , qui diu vixerunt, mittit Quintillo munus natalitium . De hoc more mittendi munera natali die agit Plautus in Pſeudolo act. 1. ſce. 1. & Terentius in Phormione act. 1. ſce. 2. Martialis in epigrammate 64. lib. 8. Clitum quemdam irridet , qui hujuſmodi munerum accipiendorum cauſa multos natales ſimulabat . *Ut poſcas , Clite , munus , exigaſque , uno naſceris octies in anno , & ſolas puto , treſve , quatuorve non natalitias habes Kalendas* .

(*b*) Ovid. item torrentem alloquens. *Fontis habes inſtar pluviaſque niveſque ſolutas* .

(*c*) Ovid. ibid. *At tibi pro meritis opto , non candide torrens , ſint rapidi ſoles , ſiccaque ſemper hyemi* .

ANTIPHILI BYZANTII.

De Glauco naviculatore . 1. 56. 3.

GLaucus Neſſaeae fauces (*a*) tranantibus undae
Dux bonus, in Thaſiis navita litoribus
Aſſiduus; ponti qui per vada cerula clavo
Affixus tota nocte regebat iter;
Longaevuſque, marique attritus, linqueret ipſam
Quum vitam, dulcem noluit ille ratem
Linquere. quam ſocii ſuperimpoſuere (*b*) ſepulto;
Puppe ſua ut Stygias laetus adiret aquas.

ARCHIAE.

Boves navim trahentes . 1. 33. 6.

NOn terram ſulcare boves modo novimus, ipſas
At ponto puppes ducimus e liquido,
Hoc quoque pacis (*c*) opus docti. per rura viciſſim
Tu, mare, delphinas ducere aratra jube.

Echo de ſe ipſa . 1. 35. 1.

ECho ego, muta modo, modo garrula. da bona verba,
Quiſquis es; haec reddam quae prius audiero.
In te quae dices convertam dicta; tacebo

Si

(*a*) Glaucus hic dicitur deductor eorum, qui tranſmittebant *fauces undae Neſſaeae*, id eſt oſtia Neſſi, fluminis Thraciae, contra quae oſtia, anguſto freto interjecto, ſita eſt Thaſus, inſula maris Aegaei; niſi forte ipſum illud fretum placet *fauces Neſſaeas* appellare.

(*b*) Dixi alibi de more veteribus uſitato, inſtrumenta ejus artis, quam quiſque exercuerat, ſepulcro imponendi.

(*c*) Pacis enim tempore claſſes in terram ſubduci, belli tempore eaedem in mare deduci ſolent.

Si taceas. quid me juſtius (*a*) eſſe poteſt?

Ad hirundinem in Medeae tabula nidulantem. I. 87. 4.

MEdea haec. nidum cui credis, hirundo? tuiſne
Parcat, quae natos (*b*) perdidit ipſa ſuos?

Ad merulam in quercu ſedentem. I. 60. I.

QUercum linque iſtam, nec ramo inſide virenti
Dulcem iterans cantum, ſi ſapis, o merula,
Iſta tibi maleſida arbos, inimicaque: tutum
Praebet ubi hoſpitium vitis amica, veni;
Pampineoque pedem ſecura in palmite pone,
Arguto & varium pectore funde melos.
Viſcum iſtaec (*c*) avibus, ſuaves haec educat uvas;

Et

(*a*) Echo nec juſta eſt, nec injuſta. nobis magnopere cavendum eſt, ne, ſi hanc falſam juſtitiae ſpeciem ſequamur, & paria paribus reſpondeamus, injuſtiſſimi eſſe reperiamur. quibus quidem a Deo praeceptum eſt, ut pro malo bonum reddamus, ut maledicentibus bene ipſi dicamus; odium amore, injurias beneficiis, contumelias laudibus compenſemus.

(*b*) Nemo neſcit Medeam, ab Iaſone repudiatam, ut eum dolore afficeret, nefario ſcelere ſuos ipſam liberos trucidaſſe. Rem narrat Euripides, atque alii poetae. Pauſanias tamen in Corinth. tradit, eos non a matre occiſos, ſed a Corinthiis lapidibus obrutos, quod Glaucae Creontis filiae illud exitiabile donum a Medea miſſum attulerant.

(*c*) Plin. lib. 16. c. 44. *Viſcum copioſiſſimum in quercu. altitudo ejus non excedit cubitalem, ſemper fruticoſi, & viridis*. hujus acinos ait colligi meſſium tempore, ſiccari, tundi, aqua putreſcere duodenis fere diebus, inde, in profluente iterum tunſos, lenteſcere, atque evadere utiles ad avium pennas tactu ligandas.

Et ſacra eſt, cantu qui capitur (*a*), Bromio.

De Cupidine gemmae inſculpto . 1. 27. 5.

IN gemma Libyci vidi ut ſubjecta leonis
Terga premat, vidi ut fraena manu implacidus
Tractet Amor, domitumque agitet, caedatque flagello;
Vidi, &, perculſo pectore, contremui.
Manſueto quid enim faciat mihi (*b*), qui puer, eheu!
Tam ſaevam vexat ſaevior ipſe feram?

ARISTONIS (*c*).

De Junone irata ob Ganimedem . 1. 83. 4.

SAeva Jovis conjux, rapto Ganimede, furore
Acta gravi, haec alto verba dedit gemitu.
Ignem (*d*) Troja Jovi peperit: Trojae ipſa ſed ignem
Mittam alium, exurat qui male cuncta, Parin (*e*).

Non

(*a*) Magnam eſſe Baccho cum Apolline ac Muſis cognationem tradunt poetae; hunc itidem choris, cantu, carminibus delectari. Hinc illa Horatii, *Bacchum in remotis carmina rupibus vidi docentem*; Propertii, *Bacche ſoles Phoebo fertilis eſſe tuo*; Tibulli, *ſacro nam rite poetae Phoebuſque, & Bacchus, Pierideſque favent*.

(*b*) Ille vero te, animal non modo manſuetum, ſed etiam rationis particeps, Deoque ſimile, miſerrime divexabit, atque affliget omni contumelia, niſi malum ſeſſorem excuſſeris; quod bruta animalia non poſſunt, homines & poſſumus, & debemus.

(*c*) Hoc carmen alii tribuunt Hermiodoro.

(*d*) Ovid. Met. lib. 10. *Rex ſuperum Phrygii quondam Ganimedis amore arſit*.

(*e*) Virg. Ae. lib. 7. 319. loquens de Paride: *nec face tantum Ciſſeis praegnans ignes enixa jugales*.

Digitized by Google

Non aquila (*a*) Iliadis veniet; ſed, ſtrata vorabunt
Qui marte Argivo corpora, volturii.

CALLIMACHI.

Ad Bacchum (*b*) . 1. 67. 21.

VOx brevis eſt, ceſſit cui res bene, Bacche, poetae.
Dicit enim, VICI; quo pote nil brevius.
At cui non afflas dexter, ſi forte rogetur
Quam bene certarit; DURA ait ACCIDERUNT.
Haec habeant ſibi verba mali, turba impia, vates;
At mihi contingat vox, pater, illa brevis.

COSMAE.

Pyrrhus mactans Polyxenam. 4. 8. 29.

PYrrhus ego hanc (*c*) patri macto: quae Pallada clamat,
Demens! non fratrem ſe ſcit habere Parin? (*d*)

GLAUCI.

Pan & Nymphae de Daphnide. 1. 68. 1.

P. DIcite mi, nymphae, Daphniſne (*e*) hac tranſiit, haedos
Heic niveos veſtro pavit & in nemore? N.

(*a*) Ovid. Met. lib. 10. *nulla tamen alite verti dignatur* (Jupiter) *niſi, quae poſſet ſua fulmina ferre. Nec mora, percuſſo mendacibus aere pennis, arripit Iliaden; qui nunc quoque pocula miſcet, invitaque Jovi nectar Junone miniſtrat.*

(*b*) Rogat Bacchum, ut ſibi cum aliis poetis certaturo ſic adſit, ut, peracto certamine, interrogantibus, quomodo rem geſſerit, uno verbo reſpondere poſſit ſe viciſſe, nec cogatur, quod victi faciunt, multis verbis uti, ne ſe victum fateatur.

(*c*) Priami & Hecubae filiam patri meo Achilli.

(*d*) A quo Pallas Veneri eſt poſthabita.

(*e*) Siculus ille paſtor, de quo tam multa fabulati ſunt poetae bucolici, ac praecipue Theocritus.

Digitized by Google

N. Nae nae, Pan; illoque etiam tibi ſcripſit in alni
Cortice conſpicuis verba legenda notis.
Pan, Pan ad Maleam (a) *& Pſophedia* (b) *ſaxa venito.*
P. Jam venio. Nymphae, multa valete; abeo. (c)

GEMINI.

In Herculem inermem Lyſippi. 4. 8. 17.

Viator, & Hercules.

V. Nunc ubi clava ingens, Alcide? ubi rapta leoni
Pellis, & ille arcus, ſpiculaque & pharetrae?
Faſtus ubi tuus ille? H. Aegrum, fractumque, humilemque
Lyſippi ſic me docta (d) manus poſuit.
V. Quis nudat? quis te miſerum domat? H. Aliger, inter
Ille tot aerumnas mi gravis unus, Amor. (e)

CY.

(a) Promontorium Peloponeſi ad ſinum Laconicum.

(b) Lampeiam aut Erymanthum, qui montes ſunt prope Pſophidem urbem Arcadiae.

(c) Pan, lecto carmine, nihil morae interponens, nymphis valedicit, atque abit confeſtim eo, quo vocatur, motus, opinor, non ſolum cupiditate Daphnidis viſendi, & Arcadiae natalis ſoli adeundi, ſed etiam metu, ne quid Daphnis patiatur ad Maleam, locum infamem naufragiis, de quo eſt proverbium: *Maleam legens, quae domi ſunt obliviſcere.*

(d) Jure doctam appellat, quae teſte Plinio l. 34. c. 7. *opera DCX feciſſe prodatur, tantae omnia artis, ut claritatem poſſent dare vel ſingula.*

(e) Ovid. Heroid. ep. 9. facit Deianiram Herculi haec exprobrantem. *Quem non mille ferae, quem non Sthenelcius hoſtis, non potuit Juno vincere; vincit Amor.*

CYRILLI.

De epigrammate. 1. 44. 2.

VErſiculos epigramma duos ſibi poſtulat (*a*) addis
Huc aliquid; carmen, non epigramma facis.

JULIANI.

De Archilocho ad Cerberum. 3. 25. 18.

CErbere, qui magnis terres latratibus umbras,
Terribilem hanc, ad vos quae venit umbra, time
Occidit Archilochus. rabiem cave triſtis iambi,
Quem vates torvo ſaevus ab ore jacit.
Voce quid iratus poſſit ſcis, viſa Lycambae (*b*)
Cui ſimul in Stygia eſt utraque nata rate.

LEONIDAE.

Mars indecoro munere affectus. 1. 3. 1. & 2.

UNde, malum, ſpolia haec? non ſunt mea. gratus inepte
Quis dedit ingratum munus Enyalio? (*c*)

Te-

(*a*) Atqui epigramma nec duos verſus poſtulat, quum uno etiam verſu poſſit eſſe contentum, cujuſmodi eſt illud Virgilianum: *Aeneas haec de Danais victoribus arma*; & multo plures quam duos recipit. quod ita eſſe & ratio perſuadet, & innumerabilia optimorum poetarum exempla declarant. Hoc quidem conſtat, unam ex virtutibus epigrammatis eſſe brevitatem. verum ea brevitas quanta eſſe debeat, non tam poteſt numero verſuum, quam quodam hominum intelligentium judicio definiri.

(*b*) Vide quae animadverſa ſunt pag. 103.

(*c*) Enyalius eſt nomen Martis, quo uſus eſt Homerus, Heſiodus, Sophocles, atque alii poetae, praeſertim ubi de Marte non qualicunque, ſed inter praelia debacchante loquuntur.

Digitized by Google

Tela integra; micant galeaeque & ſcuta, nec uſquam
Purpurei apparet ſanguinis ulla nota.
Quae cernens rubeoque genas, & fronte profuſus
Ubertim ſudor pectus ad uſque fluit.
His aulamve aliquis, pictum aut conclave, recentis
Aut nuptae armorum deliciis thalamos
Inſtruat. ornentur Martis delubra cruentis (a)
Exſuviis: laetor ſanguine bellipotens.

De caeco & claudo. 1. 4. 2.

FErt caecus claudum, caecum regit alter: utrique
Hic graditur, pacto foedere, at ille videt. (b)

De ſe olim aſtronomo tunc poeta. 1. 67. 29.

LIneolis (c) olim fallebam tempora nulli
Carus magnorum aut cognitus Anſonidum.

Nunc

(a) Praeclare Virgilius de armis Mezentii ab Aenea eidem truculento, & ſanguinario deo conſecratis: *addit rorantes ſanguine criſtas, armaque trunca viri, & bis ſex thoraca petitum, perfoſſumque locis.*

(b) Horum exemplum in omni vita ſequi debemus, atque, ut ait Tullius de Offic. lib. 1. *communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo.* ita, conſilio, re, opera in unum collatis, ex hominibus, quorum ſinguli manci quodammodo ſunt, ac debiles, coaleſcit civitas, quaſi quoddam corpus firmum atque integrum.

(c) Olim, inquit, multam & inanem operam ponebam in ducendis lineolis, & earum ope problematis ſolvendis, & theorematis demonſtrandis. id quum facerem nemo erat nobilium Romanorum, qui me aut diligeret, aut vero etiam noſſet.

Nunc placeo cunctis. nam ſero denique vidi (a)
Quam pretio vincat Calliope Uraniam.

MAECII.

In ſimulacrum Cupidinis vincti. 4. 12. 47.

Fle miſer incaſſum tua vincula neſcia ſolvi,
Funde miſer triſtes ex oculis lacrimas,
O peſtis mentiſque bonae, ſanctique pudoris,
Flamma vorax, caecum pectoris ulcus, Amor.
Te nexo, cuncti mortales ſolvimur. Euris
Nil profecturas, improbe, funde preces;
Et, quos intuleras humanis mentibus, ignes
Exſtinctos fletu jam prope cerne tuo.

MELEAGRI.

Ad cicadam. 3. 24. 5.

O, quae, dulce ſonans dulci ebria rore, cicada,
Agreſte, at gratum per loca ſola canis;
Nutantumque haerens foliorum in vertice, vocem
Corpore de ſicco das citharae adſimilem,
En age ludicrum carmen Pana incipe contra; (b)
Carmen quod nymphas mulceat arboreas,

(a) Vidi, inquit, quanto praeſtantior ſit poeſis, quam aſtronomia. quod vel ex eo intelligi poteſt, quod aſtronomiae praeeſt Uranie, una ex Muſarum choro, nihilo melior quam caeterae, poeſi autem Calliope, quam Heſiodus in Theogonia vocat *Muſarum omnium praeſtantiſſimam*, itemque Homerus ac caeteri ſcriptores nulli ſororum non anteponunt.

(b) Incipe, inquit, cantus, qui Panis fiſtulam aemulentur, eique per aeſtum canenti viciſſim reſpondeant.

Meque juvet, curis & duro feſſus amore,
Hac ſomnum capto dum mihi ſub platano.

MOSCHI.

In Amorem arantem . 4.12.49.

ATque facem atque arcum poſuit,ſtimulumque Cupido
Cepit . pendebat ſcortea pera humero.
Inde boves junxit validos, arvoque ſubacto,
Dum plena ſpargit grandia farra manu,
Caelum ſuſpiciens: haec calface, Jupiter, inquit;
Sidonium (*a*) aut cogam te ſub aratra bovem.

MYRINI.

De Thyrſide & Amore (*b*) . 3. 27. 5.

THyrſis oves ſolitus nympharum ducere paſtum;
Pana cavis aequans Thyrſis arundinibus,
Sub pinu hac dormit ferventibus ebrius horis;
Ipſe at oves ſumto ſervat Amor baculo.
O nymphae, nymphae, paſtori abrumpite ſomnum,
Praeda lupis ne ſit cum grege parvus Amor.

NI.

(*a*) Jupiter non longe a Sidone in taurum ſe vertiſſe dicitur a poetis, atque inde Europam Agenoris filiam, dorſo exceptam, ex Phoenicia trans mare in Cretam avexiſſe. Qua de re agit Ovid. Met. lib. 2. & Theocritus, vel potius Moſchus, in Idyllio, quod inſcribitur *Europa*. Id Idyllium, qui Graece neſciunt, atque etiam qui ſciunt, legant elegantiſſimis latinis verſibus redditum a Bernardo Zamagna, atque editum Romae an. 1768. una cum Nave aeria.

(*b*) In hoc argumentum, ſculptum aut pictum ab aliquo artifice, luſit poeta multo, ut opinor, venuſtius, quam ſi ipſe id excogitaſſet.

NICARCHI.

Venus ad Minervam. 1. 38. 8.

CUr Venerem irritas, virgo Tritonia? dextra
  Cur pomum (*a*), rapiens mi mea dona, geris?
Non te, piniferae quondam ſub rupibus Idae,
  Sed me formoſam cenſuit eſſe Paris.
Tu tibi habe clypeum, galeamque, haſtamque; relinque
  Poma mihi: victam ſit ſatis eſſe ſemel.

OENOMAI

De Cupidine in cyatho. 4. 18. 10.

QUorſum Amor in cyatho? cur ignibus additur ignis?
  Quid? ſolo non ſat corda calent Bromio? (*b*)

PALLADAE.

Coenae recuſatio. 1. 79. 1.

AD coenam invitas: contentus, Cinna, vocari,
  Oblato haud utar munere ſi pateris.

(*a*) Fecerat neſcio quis artifex Minervam pomum manu gerentem, fortaſſe ut ſignificaret, eam eſſe Venere pulcriorem, ac digniorem, cui pomum illud a Diſcordia in deorum epulo projectum, ac formoſiſſimae dearum inſcriptum, Paris attribueret. Venus jubet Deam id pomum de manu ponere, ſi quidem iterum certare de pulcritudine, ac turpiter vinci nolit.

(*b*) Ludit venuſte in Amoris imagunculam ſculptam vel pictam in cyatho. Quid? parumne, inquit, Bacchus valere videtur ad mentes & corpora hominum inflammanda, ut Amor praeterea quaerendus fuerit, quo vehementius inflammentur? perinde ac ſi ei, qui uno igne plus aequo calet, alium praeterea ignem admoveas multo majorem, quo jam non modo caleat, ſed etiam prorſus exuratur.

Digitized by Google

Sic mihi veſcetur, quem ſolum curat, honore
Mens gaudens, epulis nec grave corpus erit.

Amor tenens altera manu delphinum, altera florem. 4. 12. 56.

Nudus Amor blandum ridet, nec flectere gaudet
Arcum, nec certa ſpargere tela manu;
Delphinum at dextra retinet, floremque ſiniſtra;
Atque ſibi hac terras (a) vindicat, hac maria.

In virum uxori obnoxium. 1. 19. 4.

Uxori ſervire negas te, Pamphile, nunquam
Impegit capiti quod ſoleam illa tuo;
Saeva nec inſana fecit convicia lingua,
Nec liquit ſurdas pervigilem ante fores:
Blanda ſed inducit quo vult. heu falleris, atque
Mitem fers dominam, Pamphile; ſed dominam.

De templo Fortunae verſo in cauponam. 1. 80. 7.

Tu quoque verſa jocus vulgo es, Fortuna; tuaſque
Infelix, tandem es tu quoque paſſa vices. (b).
Nam

(a) Quis enim non videt in hujuſmodi ſimulacro, flore terras, delphino maria ſignificari?

(b) Irridet Fortunam, cujus templum videt ſemirutum, ac verſum in cauponam, eamque dicit ex dea copam, id eſt mulierculam, quae cauponae praeeſt, atque in ea vinum, & eſculenta vendit, factam eſſe. Quod quidem contigiſſe gaudet; eamque jubet ſuos jam caſus flere, non, quod antea ſolebat, hominum caſibus laetari; quum ſuam levitatem & inconſtantiam, quam nos experiebamur, ipſa etiam a ſummo ad imum dejecta coeperit experiri.

Nam tua templa vides in foedam verſa popinam
  Et, dea quae fueras, ſordida copa modo (*a*) es.
At bene habet: proprios fle caſus, caſibus ante
  Laeta hominum; ut nobis, ſic tibi diva levis.

PHILIPPI

Ad Caeſarem de Pſittaco (*b*) 1. 60. 3.

Pſittacus e cavea digreſſus, verſicolores
  Concutiens alas ſe tulit in nemora.
Atque, ſui moris ſemper memor, uſque ſonabat
  Caeſareum nomen montibus in mediis.
Omne avium genus advenit; certamen & ortum eſt,
  Quae melius poſſet dicere: Caeſar, ave.
Orphea quis flexiſſe feras miretur, ubi omnis
  Sponte ſua, Caeſar, te volucris loquitur?

In vitem. 1. 2. 1.

NAm quae te agreſtem Soli tam devia rupes
  Vitem aluit? Scythici cana domus Boreae?
An gelidae Celtarum Alpes? an Iberia (*c*) duri
  Sueta ſinu e duro gignere vim chalybis?

M 3 Uſ-

(*a*) Terent. Adelph. 3. 1. 2. *Modo dolores, mea tu, occipiunt primum*. Ubi Donatus: *evidenter heic modo praeſentis temporis adverbium eſt*.

(*b*) Auguſtum legimus picas, corvos, pſittacos ei ſalutando adſuefactos domi habuiſſe. horum unus, ut opinor, quum e cavea profugiſſet, occaſionem praebuit Philippo ſcribendi hoc ludicrum carmen, parum accommodatum ad veritatem, ſatis ad mores Auguſti, adulatione gaudentis, atque illas, quibus ejus divinitas declarari videretur, oſtentorum ineptias minime repudiantis.

(*c*) Iberiam hoc loco, non Hiſpaniam eſſe arbitror, quam con-

Uſque adeo immites fers immanſueta racemos,
Prodit felle mero triſtior unde latex.
Saeve Lycurge (a), tuam rurſus molire bipennem,
Palmitis obſceni germen ut omne metas.

PTOLEMAEI

De ſe ſidera contemplante, 1, 46. 4.

MOrtaliſque, brevique aevo ſum ſcilicet: at, quum
Aſtrorum exploro multiplices choreas;
Nec pedibus terram tango, & conviva deorum
Felix aeterna compleor ambroſia. (b)

Palladis ſimulacrum. 1. 46. 5.

PAllas ego ex auri fulvo conflata metallo,
Quod ſacri Muſis, contulerunt juvenes.
Dimidiam poſuit Cephiſius; addidit illi
Octavam Theſpis, deinde Solon decimam,
Vicenam Themiſon partem; novem at ipſa talenta,
Quae deerant, atque ars, munus Ariſtodici eſt (c). VA-

conſtat optimis vitibus abundare, ſed regionem eodem nomine, juxta Pontum inter Colchos, & Armeniam, Alazone fluvio ab Albanis diviſam; quam, non longe a Chalybum terra poſitam, puto etiam ipſam ferrum gignere conſuevisse.

(a) De Lycurgo ſcribit Hyginus fab. 132. cum vites excidere voluiſſe, quod diceret, malum eas ferre medicamentum, quo homines videlicet ad furorem adigerentur.

(b) Ego, inquit, me hominem eſſe ſcio, cui non modo aliquando, verum etiam brevi moriendum ſit: ſed tamen, quum illos tam varios, tamque ordinatos aſtrorum motus contemplor, mihi non inter homines, ſed inter deos verſari, atque illorum vita frui videor.

(c) Subductis rationibus, deprehendes novem talenta, quae

SECUNDI

Navis incendio conſumta in litore. 1. 57. 10.

Tot longos pelagi curſus emenſa carina,
Tot jactata diu fluctibus horriſonis;
Quam neque caeruleus ponto ſubmerſerat Eurus,
Saeva nec hyberni vicerat ira Noti;
Igni naufragium malefido in litore paſſa, (a)
Undarum fruſtra comprecor auxilium.

STATILII FLACCI.

Fons & viator. 1. 65. 1.

F. Hauri, ſed tacitus V. cur? F. parce haurire. V. li cetne
Scire tamen cauſam? F. dulce fluo tacitis. (b)

THEOCRITI.

Amor api ſimilis.

Furem olim, alveolis mel dum ſubducit, Amorem
Laeſit apis, fodiens digitos, multa ille dolebat

quae ab Ariſtodico collata ſunt, eſſe novem quadrageſimas partes totius ſummae; ſummam aequalem eſſe talentis XL. eorum talentorum Cephiſium dediſſe XX, Teſpin V, Solonem IV, Themiſonem II.

(a) *Quid quiſque vitet, nunquam homini ſatis cautum eſt in horas*, ait Horatius l. 2. oda 13. Haec certe navis ibi exitium reperit, ubi ſalutem reperiſſe putabatur.

(b) Tam multa illi veteres, ac tam incredibilia de varia fontium natura commenti ſunt, ut hoc etiam comminiſci potuerint, eſſe aliquem fontem, qui idem tacentibus dulcem, loquentibus amaram aquam praeberet. Hujuſmodi fons monet viatorem, ut tacitus hauriat; viator cauſam ſciſcitatur. Id quum facit, jam tacitus non eſt. itaque jubetur abſtinere ab hauriendo; utpote cui, jam loquuto, aqua illa, quae ſolum tacentibus dulcis eſt, amara futura ſit.

Turgidulus dextram , ſaliens , tundens pede terram ;
Tum Veneri oſtendit cladem ; queſtuſque , volucris.
Tantula apis faceret quod vulnera tanta . querenti
Subjecit Venus arridens : Quid ? nonne apibus tu
Par es , tanta puer qui vulnera tantulus infers ?

XENOCRATIS

Herma (a) in paleſtra . 4. 12. 34

HErma ego ſum pedibuſque celer , manibuſque . paleſtra
Truncus in hac ſtatuor cur pede utroque carens ,
Atque manu ? pedibus demtis , an currere ; demtis
An manibus poſſum , quod ſoleo , eſſe pugil ?

ZELOTI

Pinus vento eruta ad fabrum navalem . 57 .2.

STulte faber , quid me , radicitus exturbatam
Triſti Euro , fluctus mittis in aequoreos ?
Omen triſte habeo , ſaevis invíſa procellis
Pinus , in Alpinis naufraga verticibus .

ZENODOTI

De Cupidine fonti impoſito. 2. 27. 14.

IMponis gelido cur fonti , ſculptor , Amorem ?
Non hic ab affuſa fit minor ignis aqua .

EL-

(a) Hermae erant ſtatuae Mercurii plerumque manibus pedibuſque carentes : cujus figurae Macrobius,Feſtus , Suidas, Servius , non eandem omnes , ſed alius aliam cauſam afferunt . Hujuſmodi Hermas , ait Tullius ad Atticum l. 1. ep. 4 eſſe ornamentum commune omnium gymnaſiorum . Hunc morem irridet poeta , ac facit Mercurium querentem , ſe in paleſtra talem ſtatui , ut artes paleſtrae maxime proprias exercere non poſſit .

CALLIMACHI
ELEGIA
IN LAVACRA PALLADIS.
ARGUMENTUM.

Puellas Argivas Minervae ſimulacrum (id impoſitum in currum ſolemni pompa deduci, atque in flumine Inacho ablui ſolebat) excepturas alloquitur: docet quid fieri opus ſit ad ſacrum rite conficiendum: monet, ne quis virorum ſpectator accedat; nam, dea conſpecta, oculos amiſſurum: id olim accidiſſe Tireſiae; cui, filio Chariclus nymphae, qua nulla fuerit Minervae acceptior, deam tamen fortuito viſam oculos ademiſſe.

ITE, age, loturae Tritonidos*, ite miniſtrae;
Nam modo ego ſacras tollere equas fremitum
Audivi: ſacro in curru Dea vecta propinquat.
Ite agedum, flavae, o, ite Pelaſgiades.
Diva ſibi magnos nunquam abluit ante lacertos,
Quam niveas, terſo pulvere, lavit equas.
Tunc etiam, arma gerens nigro quum foeda cruore,
Dirorum pugna venit ab anguipedum (*a*),
Curru ſolvit equis primum fumantia colla,
Perluit & largi fontibus Oceani.

Su-

(a) Gigantum. Ovid. Met. I. *centum quiſque parabat inficere anguipedum captivo brachia caelo.*

Sudorem, guttaſque putres, ſpumamque rigentem
Ipſa ſua tergens candida Diva manu.
Ite, o Achaiades; neve unguenta atque alabaſtros,
(Auditis? mo:o ſtridor ab axe venit)
Non unguenta Deae, niveos non ferte alabaſtros;
(Illa uti mixtis non amat unguinibus)
Non ſpeculum; ſemper, ſpeculo ſine, pulcra Minerva eſt;
Idaeis nec quum ſub Phryge verticibus
Lis fuit, in claro vel ſe dea magna orichalco,
Vel Simoenteis vidit in aequoribus.
Nec Juno: aes nitidum cepit Venus una, manuque
Diſcrevit lenta diſpoſuitque comam.
At ſpatia exhauſit centum biſdenaque curſu
Pallas, ad Eurotan ut Lacedaemonia
Aſtra (*b*); dehinc tenui corpus perduxit olivo,
Illi arbos purum quod ſua progenuit.
Igneus, o puerae, fulſit rubor; ut roſa mane,
Punica vel ſciſſo, cortice, grana rubent.
Et nunc ergo marem tantum proferte liquorem,
Quo Caſtor, quo vis ungitur Herculea.
Adſit & aureolus pecten, quo fingere pulcre
Poſſit, & humentem tergere diva comam.
Exi agedum, Pallas; praeſto eſt chorus innuptarum
Jam tibi, magnorum ſanguis Aceſtoridum. (*c*)
Ma-

(*b*) Caſtor & Pollux, illi, ut Horatius vocat Oda 3. l. 1. *fratres Helenae, lucida ſidera*.

(*c*) Graecus Callimachi interpres ait, *Aceſtoridas* fuiſſe tri-

Magna Minerva, exi; tibi jam clypeus Diomedis
Fertur: ut Argivos ille patres docuit
Eumedes olim (*a*), gratus tibi, diva, ſacerdos.
Qui, quum in ſe populi gliſcere conſilium
Senſit atrox, mortem vitans, fugitque, tuamque
Crias in rupes abſtulit effigiem.
Crias in rupes; praeruptis, diva, locans te
Cautibus, eſt nomen queis modo Pallatiſin.
Exi age jam Pallas, bellatrix, caſſide fulgens
Aurata, & clypeum laeta & equum ſtrepitu.
O, quae fertis aquam (*b*), ne flumina tangite: linquat
Flumina, fontanas & bibat Argos aquas.
Longe urnas hodie, famulae, ſive ad Phyſadiam,
Sive ad Amymonen ferte Danaiadem.
Nam volvet mixtas auroque & floribus undas
Inachus, eque almis montibus adveniet
Pulcra fluens divae. Tu lumina verte, Pelaſge,
Verte alio, imprudens ne videas dominam.

Ad-

tribum Argivam, ex qua hae virgines Palladis miniſtrae deligebantur.

(*a*) Docet, Eumedem horum ſacrorum inventorem fuiſſe. hunc, Argivis in eum conſpirantibus, Palladis ſimulacro ſecum ablato, in montem Crium profugiſſe, atque ibi deam collocaſſe; ex qua rupes ille dictae ſunt Pallatides, ſive Palladiae.

(*b*) Alloquitur mulieres, quae in privatos uſus aquam ex Inaco haurire ſolebant, eaſque monet, ut ex Phyſadia, aut ex Amymone, cui fonti Amymone Danai filia nomen fecit, aquam petant. Inachum enim hodie non hominibus, ſed Deae fluxurum multo, quam ſoleat, ditiorem ac pulcriorem,

Digitized by Google

Adſpiciet quiſquis dominam temere urbipotentem,
  Tum poſtremum Argos viderit Inachium.
Magna Minerva, exi: interea quandam ipſe puellis
  Narrabo priſci temporis hiſtoriam.
Nympha, puellae, olim Thebis fuit, una Minervae
  Cara magis cunctis, quotquot erant comites,
Mater Tireſiae. qua nunquam diva carere
  Quibat; quam (ſive ad moenia Theſpiadum,
Sive Coroneas iret, ſeu forte Haliartum,
  Boeotum curru culta ſecans rapido;
Sive Coroneas (a), ubi lucus fragrat odore
  Olli, ſtantque arae Curalium ad fluvium)
Saepe Dea curru ſecum tollebat eodem;
  Nullum & nympharum colloquium, aut thyaſus
Gratus erat, nymphas ni duceret alma Chariclo.
  Parca tamen luctum neverat, heu, miſerae
Huic quoque, fida comes quanquam foret uſque Minervae,
  Namque olim peplos utraque diſſoluit,
Aeſtatemque undis Aganippidos Hippocrenes
  Lenibant, medio dum tacet aura die;
Lenibant aeſtatem ambae ferventibus horis,
  Dum late montem poſſidet alta quies.
Solus adhuc, juvenem catulis comitantibus, ibat
  Tireſias, ſacra ſe per loca circumagens:
Atque, ſiti aridulus longa, prope flumina venit,
  Nec ſponte, infelix, vidit in amne Deam.

Quem

(a) Ita accipiendum, ut ſi diceret: *Sive, inquam, Coroneas*. Sed vereor, ne locus ſit corruptus.

Quem, flagrante ira, tamen eſt adfata Minerva:
Nam quis te amiſſis hinc rediturum oculis,
Quis malus, Euerida (a), haec te Deus in loca duxit?
Sic ait: at puero nox premit atra oculos.
Obſtupuit; vox preſſa; artus tremuere, comaeque
Horrent verborum conſiliique inopi.
Nympha ſed exclamat: quid mi, Dea, quid, Dea, gnato
Feciſti? haec divum eſt, haeccine amicitia?
Lumina mi ſurpſti pueri. puer adſpexiſti,
O puer infelix, Pallada; ſed rutilam
Haud lucem adſpicies poſthac. heu perdita mater!
O mons! o Helicon nunquam adeunde mihi!
Magna empſti parvo (b); paucis pro dorcaſi, paucis
Pro cervis, heu! heu! lumina habes pueri.
Sic, dulcem ambobus gnatum complexa lacertis,
Qualis moeſta Itylum flet Philomela, parens
Triſte gemens flebat. ſociam miſerata Minerva
Solata eſt dulci comiter alloquio.
Nympha, iram cohibe, muta & quaecunque loquuta es:
Non tibi ego puerum, non ego nocte premo:
Nec puerorum oculos venari eſt dulce Minervae.
Saturnus legem condidit hanc ſenior: Aſ-

(a) Tireſias ab Apollodoro l. 3. Euerei filius fuiſſe dicitur.

(b) Magnum eſt, inquit, o Helicon, id, quod aufers, parvum id, quid dediſti. En quid filius meus, dum in te venatur lucratus eſt: paucas capreas, & cervos abs te abſtulit, ſuos tibi oculos reliquit. Quibus verbis ſignificatur Tireſiae magno ſtetiſſe venationem, quae illi occaſio fuerit caecitatis.

Aſpiciet quicunque deum, niſi ſi volet ipſe
Cerni, continuo det grave ſupplicium.
Quare hoc, nympha, ulli non eſt revolubile divum,
Quod nevit laeva Parca ſevera colu;
Fudiſti puerum quum vitae in lumina: tuque,
Everida, tibi debita fata feras.
O quot Cadmeis (a) fruſtra dona ingeret igni!
O quot Ariſtaeus! quam ſibi diſcupient
Unigenam impubem vel caecum Actaeona reddi!
Ille comes Triviae ſcilicet, ille bonus
Curſor erit; ſed nil curſus, nil tela juvabit
Fortia cum magna ſaepe tuliſſe Dea,
Viderit ut primum, nec ſponte, lavacra Dianae.
Namque canes dominum protinus inſilient,
Diſcerpentque, avideque vorabunt: montibus errans,
Vix tandem inveniet, quae legat, oſſa parens;
Et te felicem fortunatamque vocabit,
Vel caecus rediit cui puer e nemore.
Ergo, cara, iſtos fletus jam ſupprime; donis
Hunc ego te propter grandibus adficiam.
Eſſe dabo vatem clarum per ſaecula, ſeſe
Cui nemo e cunctis vatibus aequiparet.
Namque avium omne genus noſcet, quae proſpera, quaeque
Irrita, vel triſti laeva ſit augurio;
Multaque Boeotis oracula, multaque Cadmo
Con-

(a) Autonoe Cadmi filia, uxor Ariſtaei, mater Tireſiae.

Concinet, ac magnis poſtea Labdacidis (*a*);
Ingentem & baculum, juſſo qui tramite greſſum
Dirigat, & vitae tempora longa dabo; (*b*)
Et fatuos inter ſapiet (*c*) poſt funera manes,
Unus magni aula clarus in Ageſilae (*d*).
Sic ait, & nutu ſancivit dicta. ratum ſit
Quod nutu ſancit cunque Minerva. dedit
Jupiter hoc uni prae cunctis nempe deabus,
Quas genuit; potis eſt quod pater, illud idem
Poſſe. Jovis Pallas prognata eſt vertice, vertex
Quod Jovis adnuerit, quodque Minerva, ratum eſt.
En venit, en tandem, nec fallor, diva: puellae,
Vos illam, cordi eſt ſi patria, excipite
Cum votis plauſuque & laetifico ululatu.
Salve, diva, urbi ſis bona & Inachiae.
Salve, quumque exis, quumque alta ad moenia rurſum
Flectis equos; ſervaque, o bona, rem Danaum (*e*).

ER-

(*a*) Labdacus fuit pater Laii, avus Oedipi, proavus Eteoclis; qui omnes Thebis regnarunt.

(*b*) Tireſiam alii ſeptem, alii novem aetates vixiſſe tradunt.

(*c*) Homerus Odyſſ. l. 11. tradit, Tireſiam apud inferos ſolum ſapere, caeteros umbrarum vagari modo.

(*d*) Ageſilas, ſive Ageſilaus eſt unum ex nominibus Plutonis.

(*e*) In hunc hymnum ſcripſit uberrimas doctiſſimaſque obſervationes Ezechiel Spanhemius.

F I N I S.

ERRATA SIC CORRIGITO:

Pag. 18.	lin. 22.	Mnemoſine	Mnemoſyne
12.	14.	Flaminio	Flaminino
19.	8.	atque Corinnam,	teque, Corinna,
20.	10.	terebynthis	terebinthis
37.	9.	praeilarum	praeclarum
28.	7.	infriget	infringet
28.	16.	Caeſar	Caeſaris
32.	14.	Mynonis	Myronis
57.	16.	chlamyden	chlamydem
71.	3.	vltae	vitae
73.	7.	alteae	alterae
77.	17.	ſuccedit	ſuccendit
94.	12.	conſide	conſide
100.	15.	fereba	ferebat
131.	12.	menſa	merſa
159.	4.	ſcripſiſſe	ſcripſiſſet

1018470

Digitized by Google

Digitized by Google